This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

UNIVERSITEITSBIBLIO
900000091
Digitized by Google

Digitized by Google

. L. 580

Digitized by Google

Digitized by Google

WILHELMI KOOLHAAS

Eccleſiaſtæ Langeracenſis, trans Leccam

DISSERTATIONES GRAMMATICO-SACRÆ

Quibus

ANALOGIA TEMPORUM ET MODORUM HEBRÆAE LINGUÆ

Inveſtigatur ac illuſtratur.



AMSTELÆDAMI,
Apud GERARDUM BORSTIUM.
MDCCXLVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

WILHELMI KOOLHAAS


Eccleſiaſtæ Langeracenſis, trans Leccam

DISSERTATIONES GRAMMATICO-SACRÆ

Quibus

ANALOGIA TEMPORUM ET MODORUM HEBRÆAE LINGUÆ


Inveſtigatur ac illuſtratur.



AMSTELÆDAMI,
Apud GERARDUM BORSTIUM.
MDCCXLVIII.



Digitized by Google



Digitized by Google

ADPROBATIO.

Profeſſores S. S. Theologiæ in Academiâ, quæ Trajecti Batavorum eſt, teſtantur, quod diligenter accurateque perlegerint & examinaverint Opuſculum, cujus eſt titulus, *Wilhelmi Koolhaas V. D. M. Diſſertationes Grammatico-Sacræ, quibus Analogia Temporum & Modorum Hebrææ Linguæ inveſtigatur ac illuſtratur*; nihilque in eo vel Scripturæ Sacræ vel Eccleſiæ noſtræ Formulis adverſum detexerint & repererint, ſed e contrario non exigua aut vulgaria eruditionis & divinas veritates ex ipſo fonte Hebraico puriſſime derivandi peritiæ ſpecimina ubique obvia deprehenderint. Quapropter eximium hunc Libellum de meliori notâ commendant, & pleniſſime adprobant: in primis autem plurimum Venerando Doctiſſimoque illius Auctori longam fortunatamque vitam in Eccleſiæ Dei bonum & multorum ſalutem ſempiternam ex animo vovent. Dat. Trajecti Batavorum a. d. 20 Maji CIↃIↃCCXLVIII.

DAVID MILLIUS,
S. S. Theol. D. & Profeſſor &c. &c.

A. VOGET, *Th. D. & Prof.*

GUILIELMUS AB IRHOVEN,
S. S. Theol. & Phil. Doct. Illiusque Facultat. ut & Hiſtor. Eccles. Profeſſ. Ordin.

G. M. ELSNERUS,
S. S. Th. D. & Prof.

FRANCISCUS BURMANNUS,
Franc. Fil. Franc. Nep. S. S. Theol. Doct. & Prof. Facult. h. t. Decanus.

Digitized by Google

ERRATA typographica rariora ſunt, atque levis momenti: paucula hæc, quæ relegendo mihi occurrerunt, hoc modo emendari velim.

Pag. 18. lin. 5. lege *qui.*

Pag. 23. lin. 11. lege *prævidebit.*

Pag. 30. lin. 2. lege צֵעֲקִים

Pag. 44. lin. 23. lege *vertendus.*

Pag. 48. lin. 20. lege EX BA.

Pag. 100. lin. 15. lege *factæ.*

Pag. 122. lin. 26. lege החלי

Digitized by Google

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

Quum mihi ſubinde otia dantur in iis, quæ ad curam Gregis Dei, quæ a ſupremo ovium Paſtore mihi eſt demandata, proxime ſpectant, eæ mihi maxime fuerunt, atque etiamnum ſunt curæ ac deliciæ, ne in otio otioſus eſſem, ut quousque mihi pro tenui eruditionis adparatu pertingere liceat, in penitiorem ac ſolidam Sacrorum monumentorum tam Veteris quam Novi Fœderis cognitionem proficerem, utque quantumpote vera a falſis, atque dubia a certis diſcernerem. In quo ſtudiorum genere, Theologo atque Sacrorum Myſteriorum Interpreti digniſſimo ſane, quin plane neceſſario,

ſi a ſimpliciſſimis, quod fas eſt, uti nos Mathematicorum Filii docent, atque in aliis omnibus artibus rite obſervatur, incipiendum ſit, ſuo jure hic Ars Grammatica primas obtinebit partes, cujus ope ad liquidiſſimam ac certiſſimam ſenſus literalis cognitionem patet aditus: quo rite diſpoſito & percepto reliqua omnia plerumque ſatis erunt plana ac perſpicua. Si vero in ſenſu literali impingas, ſive defectu cognitionis Grammaticæ Sacræ, ſive his illisve Regulis Grammaticis aut aperte falſis, aut temere & incaute formatis in errorem abreptus, fieri haud poteſt, quin a vera mente atque ſcopo Spiritus Sancti in Verbo Dei teſtantis plus minusve aberres.

Ab inſigni hoc & primario fructu maxime mihi ſemper commendatum fuit ſtudium Grammaticæ Sacræ: in quo ſane, ſi quid judicare licet, nobis adhucdum aliquid excolendum atque expoliendum relictum eſt; præ cæteris vero, ut Grammaticam Hebræo-Sacram a temerariis nonnullis aut falſis Judæorum Regulis purgemus.

Ex

Ex hoc ſtudiorum genere natæ ſunt hæ meæ qualescunque Disquiſitiones in Genuinam atque Analogam Hebræae Linguæ Indolem ratione ſuorum Temporum & Modorum, quas placido ac candido Eruditi Lectoris examini & judicio hic ſubmitto.

Maxime hoc mihi cordi fuit, atque ad id omni ope anniſus fui, ut temere nimis hactenus admiſſas Temporum & Modorum qualescunque Enallagas ſeu Anomalias in ordinem redigerem; atque hoc modo ab adfricata turpi macula Hebræam Linguam purgarem, ejusque concinnam & analogam indolem, atque ſingulare plane decus hac in parte reſtituerem.

Forte dicat quis, hoc eſſe conamen nimis audax, atque magni moliminis opus, in quo jam ab aliquo tempore Viri Docti inſigni eruditionis & Hebræae Linguæ cognitionis adparatu inſtructi fruſtra deſudarunt; quodque adeo, qui hocce opus aggreditur, deſperatæ cauſæ patrocinium in ſe ſuſcipere videatur. At longe alia mihi hac in

Digitized by Google

parte ſtat ſententia; conatus Virorum Doctorum nequaquam fruſtraneos, verum ſatis fuiſſe felices omnino perſuaſus ſum, idque vel ex doctiſſima Pl. Venerandi Viri Florentii de Bruin hanc in rem edita Diſſertatione prorſus mihi liquet; uti & ex illis, quæ alii Viri Docti hic aut illic obiter notarunt: præſertim vero hic reſpicio Celeberrimos Viros Tillium & Alphenium, inſignes illos omnis Analogiæ Antiſtites ac Vindices.

Ex iis mihi ſpes quædam adfulſit, non ſine fructu porro hanc materiam tractari atque elaborari poſſe; præſertim ſi conſideremus, aliam plane hac in parte indolem eſſe Hebræae Linguæ ac quarumcunque Europæarum Linguarum: quum Hebræa neque Modis Subjunctivo aut Optativo, neque Temporibus Relativis, uti Imperfecto Præterito aut Plusquamperfecto gaudeat, quemadmodum cæteræ fere omnes, aliæ aliis lautiores. Atque proinde optima hæc mihi & tutiſſima via ac methodus in hanc rem inquirendi viſa fuit, ſi ſepoſitis variis illis aliarum Lin-

guarum

Digitized by Google

guarum Modis & Temporibus, attenta, continua ac repetita Sacri Hebræi Codicis lectione & ſcrutinio Indolem Hebrææ Linguæ obſervemus; atque loca parallela, quorum alter alterum illuſtrat, accurate notemus. Eximium vero fructum mihi pollicebar ex lectione & indagine Librorum Hiſtoricorum; ubi ſtylus plerumque ſimplicior & clarior, atque Tempora Præterita & Futura paſſim clarioribus criteriis diſtinguuntur.

At ſit ea, quam hic tento materiam, opus ſane perdifficile, utiliſſimum tamen, quin & plane neceſſarium mihi ſemper viſum fuit: atque hic ſatis me profeciſſe cenſebo, ſi propius paullo ad ſingularem hunc Hebrææ Linguæ Idiotiſmum continuo ſcrutando atque tentando acceſſerim, quam quidem factum fuit hactenus. Certe ſi Linguæ Genius hac in parte nobis ſatis fuerit perſpectus atque exploratus, quales non inde in nos redundarent fructus? quot S. Hebræi Codicis, ac præſertim Librorum Propheticorum loca eo ipſo ad concinnam Analogiam reduci,

Digitized by Google

atque a variis fluctuantium Interpretum παρερμηνείαις liberari poſſent? quum ſane præſertim in Stylo Prophetico eam ſibi licentiam arrogare Interpretes ſæpe videas, ac ſi plane promiſcuus Præteriti & Futuri apud Hebræos eſſet poteſtas atque uſus.

Si vero in hiſce Idiotismus Linguæ ita plane dubius & incertus remaneat, quemadmodum fuit hactenus, quas reponemus rationes Clerico aliisque, qui maxime hanc ob cauſam turpiſſimam Hebræae Linguæ adſperſerunt labem? Hæc in ignominiam Linguæ proferre non erubuit Clericus, quando inter alios ab ipſo enumeratos defectus quarto loco recenſet: * *quia conſtructio paſſim ambiguitates parit, & tempora confunduntur; nam & pauca habent Hebræi inflexione diſtincta, eaque ſubinde inter ſe miſcentur: unde fit, ut niſi res ipſa moneat, neſciamus utrum res præterita, an vero futura agatur.*

Quis vero crediderit, Hebræam Linguam, quæ a juſtis ſuis æſtimatoribus &

* Artis ſuæ Crit. Vol. I. Part. I. Cap. IV. §. 3.

& cultoribus præ aliis omnibus in ſignificationum analogia atque emphaſi, ſingulari dicendi vi, cæteriſque elegantiis eminere, iiſque palmam præripere non temere creditur, in hac tam primaria Linguæ parte adeo eſſe vagam, ambiguam ac omnino vitioſam, ut quid factum ſit aut futurum vel in ſimpliciſſimo ſtylo hiſtorico diſtinguere vix detur? Quales quæſo inde orirentur confuſiones & fraudes, ſi mercatoribus Judæis ex ſolita ſuæ Linguæ indole in ſuis tabulis debiti aut crediti Futuro pro Præterito, aut Præterito loco Futuri uti licitum foret? Quot rixis de Futuro aut Præterito ratione accepti vel expenſi judicum fora quotidie implerentur? dum ſolita quadam enallage ſuam cauſam defenderent. Num ulla alia datur Lingua hac vel alia quacunque parte adeo imperfecta & vitioſa, ac Hebræa vulgo habita fuit? Non itaque probo licentiam Grammaticorum, qui temere nimis, atque nulla fere de cauſa a propria & conſueta Temporum poteſtate ſecedunt; atque in Anomaliarum numero in immenſum fere augendo ſuam

quæ-

Digitized by Google

quærunt gloriolam. Nec magis mihi placet, quod Interpretes nonnulli & Commentatores id tanquam Regulam Hermeneuticam adſumſerint, vel ſaltem id ſibi licitum eſſe putent; Hebræorum Tempora quocunque fere modo reddere, dummodo commodum fundat ſenſum: quos inde in locis dubiis aut ſubobſcuris mirum in modum fluctuantes, atque in diverſa abeuntes ſæpe videas.

Longe potiori jure ita cenſeam, indolem Hebrææ Linguæ in Temporibus ſignificandis maxima ex parte nobis non ſatis eſſe exploratam; immo jam ab antiquis ſatis temporibus ipſis Judæis fuiſſe incognitam, maxime ex eo tempore, quo vernacula ipſis eſſe deſiit Hebræa Lingua. Omnino itaque mihi neceſſarium videtur, omnibus iſtis Grammaticorum Regulis, quas Judæorum Magiſtri tanta nobis audacia obtruſerunt, omnem plane fidem derogare, Verſionibus tam Veterum quam Recentiorum Interpretum, paſſim inani hoc præjudicio imbutorum, hac in parte parum fidere, atque in de-

Digitized by Google

deperditam Hebræae Linguæ indolem ſtudioſe inquirere.

Prævideo equidem, non omnibus æque placitura, quæ ad hunc illumve S. Codicis locum aut illuſtrandum aut vindicandum obſervavi: id vero ab hoc ſtudiorum genere non eſt alienum, ut omnia non omnibus placeant; ſunt enim, atque remanebunt ſemper varia loca ſive hac, ſive alia ratione dubia & vexata. Hoc vero rogatum velim, ut priusquam quædam loci explicatio aut verſio ut inconcinna, aut nimis dura rejiciatur, loca parallela, ſive quæ data opera illuſtravi, aut tantum citando adjeci, attente conferantur; ex quibus forte de conſueta Linguæ indole certior fieri poteris. Si vero quid noveris rectius, ſimplicius atque magis analogum, veritati, quam me amare, atque omni niſu quærere candide profiteor, lubens ac gratus cedere ſum paratus.

Quivis mihi facile adſentietur, quod ſicuti Exceptionum copia Regulæ auctoritas non parum infringitur ac debilitatur, ſic ea contra Exemplorum omni exceptione majorum abundantia ad-

admodum confirmetur, atque extra omne dubium ponatur: quapropter ſummopere anniſus fui, hoc modo Regulas ex propriiſſima Linguæ indole petitas formare, ut nullis veri nominis Exceptionibus aut Anomaliis premerer. Quin etiam, ut eo magis de Regulæ auctoritate conſtaret, non tantum his illisve Exemplis pro rei pondere vel gravitate, aut (uti forſan cuipiam videatur) novitate, eam ſtabiliendi atque probandi operam dedi; at ſimul etiam Loca Parallela, quæ attente inſpecta non minori jure Regulæ auctoritatem vindicant, ſimpliciter citando ſubjeci, ne nimium hujus Opuſculi moles excreſceret; utque hoc modo Philebræo Lectori porro inquirendi atque ad lapidem Lydium variorum Sacri Codicis exemplorum Regulas explorandi aut probandi anſa præbeatur.

Quid vero hac in parte præſtiterim, numve pro tenui in hoc ſtudiorum genere adparatu aliquid attulerim, quo ſingularis Hebrææ Linguæ Idiotismus, hactenus ſatis incognitus, clariori

Digitized by Google

clariori quodammodo luci ſit expoſitus, æquo Eruditi Lectoris judicio permitto. Si quid hiſce meis conatibus effecerim, quo in quibusdam ſaltem veritas Sacri V. T. Codicis vel illuſtrata, aut ab his illisve παρερμηνείαις liberata & vindicata ſit, erit quo gaudeam, Deoque τῷ ἐνδυναμώσαντί με, quique ſuo mihi præluxit lumine, ſubmiſſas referam gratias: quem continuis atque ardentibus precibus rogo, ut nos indies creſcere atque augere faciat in ſolida omnis ſalutiferæ Veritatis cognitione, amore & praxi; utque hiſce diebus hanc fidem ſuæ Eccleſiæ præſtet; ut lux Lunæ ſit tanquam lux Solis, & lux Solis ſit ſeptupla, ut lux ſeptem dierum, atque fracturam & varia ſauciæ ſuæ Eccleſiæ vulnera clementer curet!

Vale.

Dabam.

Langeraco trans Leccam.

Digitized by Google

BREVIS IDEA

Argumentum hujus Opuſculi Contemplandum ſiſtens.

DISSERTATIO PRIMA.

Continet inquiſitionem in genuinam poteſtatem atque analogum uſum *Temporum* & *Modorum* in Linguis, atque ſingularem plane, & ab aliis hac in parte diverſam demonſtrat Indolem Hebræae Linguæ: ſimulque docet, quibus cancellis veri nominis *Anomalia* ſeu *Enallage* in Linguarum *Temporibus* ac *Modis* limitanda & circumſcribenda. Hic

§. I. Singularis Hebræae Linguæ Idiotismus in uſu ſuorum Temporum & Modorum in genere indicatur; atque hinc natam eſſe vulgarem Grammaticorum de Enallagis aut Anomaliis opinionem oſtenditur.

§. II. Hoc modo inſignem Hebræae Linguæ adſpergi labem, atque omnia certa incerta reddi demonſtratur.

§. III. Quod Viri Docti dudum jam viderunt; atque Analogiæ inveſtigandæ, & reſtituendæ operam dederunt.

§. IV. *Tempora* & *Modi* in Hebræa aliiſque Linguis recenſentur.

§. V.

Digitized by Google

§. V. Tempora generatim diſpeſcuntur in *Definita* & *Indefinita*: *Definita* iterum ſubdividuntur in *Abſoluta* & *Relativa.*

§. VI. *Imperfectum Præteritum* oſtenditur proprie eſſe *Præſens* quoddam in re præterita.

§. VII. Quod interdum uſurpetur loco *Futuri* in re præterita.

§. VIII. *Plusquamperfectum* proprie eſt Præteritum in re præterita, ſeu reſpectu Temporis Præteriti.

§. IX. Inveſtigatur natura *Modi Subjunctivi* in Latina aliisque Linguis; uti & *Modi Optativi* apud Græcos: ſpeciatim vero inquiritur in genuinam vim atque analogum uſum *Temporum Modi Subjunctivi.*

§. X. Varii alii ſpecialiores dicendi *Modi* enumerantur; qui tamen paſſim ſub Generaliori quodam *Modo* comprehenduntur: quod præſertim in *Modo Imperativo* obſervatur.

§. XI. Sæpe fit, ut convenienter rei naturæ unum Tempus ſimul aliud quoddam includat.

§. XII. Explicat naturam *Temporis Indefiniti*, ſeu *Aoriſti.*

§. XIII. Quid ſit *Enallage* in Linguarum *Temporibus* ac *Modis*, quibusque limitibus limitanda.

§. XIV. Ex dictis elicitur idiotica indoles Hebrææ Linguæ in uſu ſuorum Temporum & Modorum.

Digitized by Google

BREVIS IDEA.

DISSERTATIO SECUNDA.

Explicat variam, ſimulque analogam poteſtatem & uſum PRÆTERITI Hebræorum. Hic

§. I. Primarius *Præteriti* Hebræi uſus indicatur & probatur.

§. II. Ab Anomalo uſu pro *Futuro* liberatur.

§. III, IV. Enallage *Præteriti* pro *Præſenti* deſtruitur.

§. V. *Præteritum* interdum venit loco noſtri *Præteriti Imperfecti.*

§. VI. Interdum *Præterito Plusquamperfecto* vertendum. –

§. VII, VIII. Sæpe uſurpatur loco *Præteriti* in re futura.

§ IX, X. Inveſtigatur uſus *Præteriti* cum ו immediate præfixo, ſeu ut vulgo dicitur, *Converſivo.*

§. XI. Inquiritur, an ו *Præteriti* eandem *Relativam* vel *Subjunctivam* vim habeat, licet non immediate Præterito præfixum.

§. XII. Explicat uſum *Præteriti* de rebus futuris in Stylo Prophetico.

DIS-

Digitized by Google

BREVIS IDEA.

DISSERTATIO TERTIA.

Quæ agit de vario, eoque analogo uſu Futuri Hebræi.

§. I. Propria & genuina vis *Futuri* Hebræi indicatur; atque hac occaſione varia S. Codicis Loca illuſtrantur, & ad Analogiam reducuntur.

§. II, III, IV. *Futurum* Hebræum ſæpe ex ſingulari Linguæ idiotismo uſurpatur pro *Futuro Relativo*, ſeu *Futuro* in re præterita: quod probatur & vindicatur.

§. V. Idem hic *Futuri* uſus porro probatur ex conſtructione Particularum אז / טרם/ aliarumque cum Futuro, quando de re præterita ſermo eſt.

§. VI—XII. Inquiritur in genuinam vim atque varium uſum τοῦ *Vav Futuri*, quod vulgo *Converſivum* dici ſolet.

§. XII. An Vav Futuro per (:) præfixum interdum eandem vim & uſum habeat cum Vav dicto *Converſivo*.

§. XIII—XVII. *Futurum* Hebræum etiam aliis quibusdam dicendi Modis, qui vere *Futuri* ſunt *Temporis*, analogice inſervit; atque uſurpatur loco *Imperativi Modi*, *Subjunctivi*, *Optativi* aliorumque.

DIS-

Digitized by Google

BREVIS IDEA.

DISSERTATIO QUARTA.

CAP. I.

Ubi oſtenditur, Modum Imperativum varios alios ſpecialiores *Modos* ſub ſe comprehendere; atque Enallage *Imperativi* pro *Futuro* deſtruitur, vel limitatur.

CAP. II.

Infinitivi Modi varii uſus apud Hebræos explicantur; atque *Infinitivi* Enallage loco *Præteriti*, *Futuri* aut *Imperativi* tollitur.

CAP. III.

Genuina indoles, & varius atque analogus uſus Participii Benoni inveſtigantur & illuſtrantur.

CAP. IV.

Explicat Analogum atque elegantem Hebrææ Linguæ Genium in dicendi Modo Aoristo, ſeu Indefinito.

Digitized by Google

ANALOGIA HEBRÆAE LINGUÆ

In ſuis Temporibus ac Modis inveſtigata & vindicata.

DISSERTATIO PRIMA.

Ubi de Hebrææ aliarumque Linguarum Temporibus ac Modis quædam præmittuntur: ſimulque oſtenditur, quibus limitibus veri nominis Anomalia ſeu Enallage in Linguarum Modis ac Temporibus circumſcribenda, limitandaque; & quinam caſus inde jure merito eximendi.

§ I.

Quicunque vel exigua tantum Hebrææ Linguæ cognitione imbutus, facile viderit, ſingularem plane, atque ab omnibus aliis Europæis Linguis diverſam eſſe Hebræam Linguam in ſuis Verborum Modis & Temporibus formandis: Adeo ut admodum difficile ſit, eam cum aliis linguis, Latina, Græca, noſtra Vernacula aliisve hac in parte plane componere; quin immo prorſus impoſſibile ſit, in omnibus obviis caſibus Hebræorum tempora modosque iisdem modis ac temporibus in aliis quibuscunque linguis vertere ac ſignificare. Hinc factum fuit, ut paſſim a Grammaticis Hebræis,

Hebrææ Linguæ prorſus ſingularis idiotiſmus ratione ſuorum Temporum & Modorum.

bræis, præſertim ſerioris ævi, ſæpe vel minima, vel nulla de cauſa, ſive in verborum modis, ſive in temporibus præſertim, variæ Anomaliæ ſeu Enallagæ fictæ vel admiſſæ ſint. Videntur mihi Hebræorum Magiſtri linguis Occidentalibus, in quas regiones maxime diſperſi erant, adſueti, puriorisque Hebraïsmi obliti, ac proprii & ſingularis hujus Linguæ genii paulatim ignari facti, mox ubi non ſatis perſpicerent qua ratione Hebræa Lingua in ſuis temporibus ac modis cum aliis linguis, quæ ipſis vernaculæ erant, commode ſatis conciliari poſſet, ſtatim clamitaſſe: *Futurum eſſe loco Præteriti*, vel *Præteritum eſſe loco Futuri*: quo ipſis nihil ſolennius, nihil frequentius. Dolendum vero Viros Doctiſſimos, qui in recuperanda reſtaurandaque Hebræae Linguæ notitia ex monumentis Grammaticorum Hebræorum egregiam navarunt operam, pasſim nimis fuiſſe faciles in admittendis vel adſumendis his illisve regulis Grammaticis, quæ vel falſa hypotheſi nitebantur, vel non ſatis caute formatæ aut limitatæ erant. Quo factum, ut ſaltem hac in parte, de qua nunc agimus, fere ſtudii Hebraïci pars habita ſit, quo quis plura & inſigniora hujus illiusve anomalias ſeu enallages exempla congerere poſſet.

§. II.

Hactenus vulgo credita Temporum ac Modorum Enallage inſi-

Quivis mihi facile largietur, inſignem hoc fore Hebrææ Linguæ defectum, ſi vere tot temporum modorumque Enallagis laboraret, ac vulgo hactenus creditum fuit, atque hoc modo turpem ei adſpergi labem. Quid certi habe-

Digitized by Google

habebimus in lingua, ubi licitum erit; quod omni modo præteritum eſt, futuro; quodque omni modo futurum eſt, præterito tempore indicare, idque ſine ulla ſpeciali cauſa, vel limitatione: nonne hoc modo proclivis dabitur via, prophetias in hiſtorias, atque hiſtorias in prophetias transfundendi? Neque unum aut alterum tantum citatur exemplum, ubi hujusmodi Anomaliæ proſtarent in Sacro Codice; verum tot centenis exemplorum obruimur, etiam quæ petita ſunt e ſimpliciſſima narratione hiſtorica, ut Anomalia ipſa ferme regula facta ſit, & paſſim fictæ hæ anomaliæ ut tot elegantiæ aut floſculi Hebrææ Linguæ a quibusdam reputatæ ſint. Forte tot congererem exempla e Grammaticis & Interpretibus Sacri Codicis, ubi Futurum Hebræorum ex ipſorum ſententia veniat pro Præſenti vel Præterito, quot reliqua forent, ubi paſſim futuri ſignificationem agnoſcunt: quo ipſo Futurum Hebræum fere Futuri poteſtatem, ac proinde & nomen amitteret. gnis foret Hebrææ Linguæ defectus.

§. III.

Hæc aliaque incommoda cauſa fuerunt Viris Doctis, atque in his præ cæteris Doctiſſimo ac Plurimum Venerando Viro Florentino de Bruin, dum viveret, Eccleſiaſti Gorinchemenſi, tot duras in Hebrææ Linguæ Temporibus anomalias, utpote quibus veritas & perſpicuitas Sacri Hebræi Codicis non parum labefactaretur, improbandi atque dolendi, omnique conatu genuinam propriamque temporum ac modorum Hebrææ Lin- Hujusmodi Anomaliis curandis, atque ad Analogiam reducendis inſignem præ cæteris operam navavit Pl. Ven. Flor. de Bruin.

guæ ſignificationem ſeu poteſtatem reſtituendi. Quo in opere feliciſſimo ſane conatu ac ſucceſſu verſatus fuit citatus Ven. de Bruin, tum in aliis ſuis Opuſculis, tum præſertim in ſua Diſſertatione Epiſtolari de hac materia conſcripta. *

Liceat & mihi, poſt laudabiles conatus Virorum Doctorum, ea publicæ luci exponere, & æquo Eruditorum judicio atque examini ſubmittere, quæ attenta & continua Sacri Hebræi Codicis lectione atque meditatione hanc in rem obſervavi; quibus, uti ſpero, ſingularis plane, atque ab omnibus aliis, maxime Europæis Linguis diverſus genius ſeu idiotismus Hebrææ Linguæ, quodad uſum ſuorum Temporum & Modorum, paullo clarius elucebit, horumque uſus analogus a crimine qualiscunque vituperandæ Anomalias vindicabitur. Ut vero in hoc ſtudiorum genere concinno ordine verſer.

I. Hacce Diſſertatione quaſi præliminari *quædam in genere de natura & uſu Temporum ac Modorum Hebrææ, aliarumque Linguarum prælibabimus, quæ poſtea uſui mihi fore prævideo: Simulque ex hiſce præmiſſis definiam; quid veri nominis Enallage ſeu Anomalia Temporis jure dici queat, quidque jure merito ab hoc Enallages crimine liberari debeat.*

II. *Quum ſequentibus Diſſertationibus in ſpecie & per partes per ſingula tempora modosque Hebræis in*

* Quæ de hiſce Hebrææ Linguæ Temporum Enallagis ſententia ſit ſolidiſſimi Theologi H. S. van Alphen, videri paſſim poterit in ſuis in varias Veteris Codicis partes Commentariis, præſertim in ſua Analytica Expoſitione in Deut. XXXII. Belgice edita pag. 184. & ſeqq.

Digitized by Google

in uſu inquiram, quouſque eorum poteſtas & uſus ſe extendat, quam analogus ſit, quoque jure ab enallages crimine liberandus.

§. IV.

Tempora tria agnoſcit Hebræa Lingua; ſcilicet *Præſens*, (Hebræis עומד vel הווה vel אמצעי dictum, quodque formare ſolent ope Participii Præſentis ſeu Benoni, ſubintellecto verbo ſubſtantivo) *Præteritum*, עבר dictum, & *Futurum* עתיד. Modis gaudent Hebræi *Indicativo*, (quo & loco *ſubjunctivi* præſertim in ſuo Futuro utuntur,) *Imperativo*, *Infinitivo* & *Participio*. Si jam cum hiſce Modis ac Temporibus conferatur poteſtas Græcæ aut Latinæ Linguæ, erunt hæ ſane longe uberiores in ſuis Modis ac Temporibus: Agnoſcunt nimirum præter hos Modos, *Subjunctivum* & *Optativum*; atque præter Tempora Hebræis in uſu, gaudent *Præterito Imperfecto* & *Plusquamperfecto*, quibus addenda Tempora *Aoriſta* Græcorum, & ſuum *Paullo poſt futurum*. Ex hiſce facile quis primo intuitu judicaret, Hebræam Linguam hac in parte admodum eſſe pauperem, magnoque laborare defectu. Verum rebus accuratius penſitatis, uti ſpero, ex noſtra de Modis Temporibusque diſquiſitione patebit, Hebræos paucis his ſuis modis ac temporibus, omne tempus, omnemque modum, non minus ac cæteræ Linguæ hac in parte longe uberiores, commodiſſime; at ſingulari ipſisque privo modo, qui tamen omnino analogus eſt, formare atque ſignificare.

Tempora & Modi in Hebræa aliisque Linguis recenſentur.

§. V.

Tempora generatim ſpectata dividuntur, atque in certas claſſes digeruntur.

Tempora in Linguis ſi generatim ſpectentur, commode dividi poſſunt in DEFINITA & INDEFINITA tempora. Tempus DEFINITUM tale mihi eſt, *quod unum tantum eſt, vel Præſens, vel Præteritum, vel Futurum: ubi Præteritum Futurum, Futurum vero Præteritum, atque Præſens quodammodo & Præteritum & Futurum excludat.* INDEFINITUM vero ſeu AORISTUM Tempus tale voco; *quod nullum certum aut definitum tempus denotat; quando non adeo ad id attenditur, an res præſens, vel præterita, num vero futura ſit; ſed quando maxime aliquid ſolitum* aut *continuum ſignificamus.* Quod infra §. XII. uberius oſtendetur. TEMPORA DEFINITA vero vel ABSOLUTA vel RELATIVA mihi ſunt. ABSOLUTA TEMPORA ea dico, *quæ in ſe ſpectata, ſine ulla relatione ad aliquod præcedens aut conſequens tempus, vel præſentia, vel præterita, vel futura ſunt.* Ita abſolute ſpectata tempora non niſi tria in rerum natura dantur, neque ullo modo plura excogitari poſſunt: atque tria hæc abſoluta tempora agnoſcit Hebræa Lingua; adeoque re a priori parte ſpectata, nullo modo coguntur Hebræi, ſaltem ſi abſolute ſua tempora adhibeant, ullas *temporum Enallagas* admittere. Adeoque maximam partem noſtra diſquiſitio verſabitur circa *tempora relativa* dicta, quæ proprie Hebræi, ſaltem ſpeciali quadam verborum flexione, non agnoſcunt. TEMPORA vero RELATIVA mihi ſunt, *quæ non adeo abſolute, ſeu in ſe ſpectata, ſed in relatione ad aliquod ſive præcedens ſive conſequens*

ſequens tempus vel ut præſentia, vel ut præterita, vel ut futura conſideranda, veniunt: qualia præſertim ſunt *Præteritum Imperfectum* & *Plusquamperfectum*: quæ qua ratione *tempora relativa* ſint, ex iis, quæ de poteſtate & uſu horum temporum dicemus, clarius patebit.

§. VI.

Imperfectum Praeteritum tale *tempus Relativum* mihi videtur, *quod in relatione ad aliquod præcedens tempus præteritum, vel quamcunque temporis deſignationem, ſive per particulas temporis, ſive alio quocunque modo indicatam, ut Præſens nobis ſiſtitur; quum res ipſa abſolute ſpectata jam ſit præterita*: adeoque *Imperfectum* proprie mihi eſt *Præſens* quoddam *relativum*, ſeu *Præſens in re præterita*. Atque hoc modo *Imperfectum* nihil Futuri involvet, quocunque modo ſpectetur, ſive *abſolute*, ſive *relative*. Exemplo res clarior fiet; quum dico, *heri legebam epiſtolam*. Hic Imperfectum *legebam*, ſi abſolute ſpectes, tempus præteritum deſignat: ſi vero ſpectetur in relatione ad notationem temporis, quæ latet in voce *heri*, præſentis erit temporis: Nam *heri* erat τὸ *legere* præſens quid. Similiter quum dico: *quando heri legebam epiſtolam, aderat mecum*. Ubi Imperfectum *aderat* præſens ſiſtitur in relatione ad præcedens tempus *legebam*, ad quod refertur per particulam temporis *quando*. Si jam quærat quis, qua in re *Præteritum Imperfectum* a *Præterito Perfecto* differat; hoc mihi videtur, licet alias ſæpius hæc tempora promiſcue uſurpari videantur, tamen ſi accurate

Imperfectum Præteritum quale ſit tempus; nimirum præſens relativum, ſeu præſens in re præterita.

curate rem putemus, in eo hæc tempora a ſe invicem differre, quod *Præteritum Perfectum* rem magis in genere ut omni modo præteritam ſiſtat; at *Imperfectum* rem quidem ut præteritam, maxime vero ut præſentem ratione alicujus temporis præteriti præcedentis notet.

Cl. Perizonius in Notis ad Sanctii Min. Lib. I. Cap. 13. Pag. 91. Contra Urſinum & Sanctium diſputans; eo quod dixerant: *tempus Imperfectum Indicativi non eſſe tempus abſolutum; ſed ſemper aliud verbum poſt vel ante ſe requirere, quo ſenſus abſolvatur*, adfirmat *hoc falſiſſimum eſſe.* Verum ego neque Urſino, neque plane dictis Cl. Perizonii adſentior: Nam ad Urſinum quod attinet, non ſemper requiritur, ut verbum aliquod præcedat, vel ſequatur, ad quod Imperfectum referatur; verum ſæpiſſime id abſolvitur ſola quadam temporis particula, uti ex præcedentibus ſatis fit manifeſtum. Quod vero ad Cl. Perizonium attinet, negantem *Imperfectum Indicativi* eſſe tempus *relativum*, at vero *abſolutum* eſſe tempus adfirmantem, in eo ipſi non facile adſentirer; quia jam oſtendimus, *Imperfectum* ſemper quandam habere relationem, ſi non ad aliquod præcedens tempus præteritum, ſaltem ad quamcunque temporis præteriti deſignationem. Sed vereor, ne hæc quæſtio in logomachiam abeat de terminis *abſoluti & relativi* temporis: quum ipſe Vir Cl. paullo poſt diſertis verbis teſtetur: *Imperfectum & Plusquamperfectum ad certum temporis præteriti momentum referri.* Quod mihi jam pro inſtituti ratione ſufficit: atque omnino

nino adſentior Viro Cl. Verba *legebam heri*, abſolutum, id eſt, perfectum ſenſum formare, cui nihil ellipticum inſit. Eo ipſo tamen nequaquam negari poterit, Imperfectum *legebam* relationem habere ad temporis particulam *heri*: adeoque tale deſignari tempus, quod reſpectu τοῦ *heri* præſens ſit, abſolute vero ſpectatum, ſit tempus præteritum. Atque adeo optimo jure Imperfectum Indicativi *temporis relativi* nomen merebitur.

§. VII.

Omnino tamen hic notandum, quod quamvis *Imperfectum* in relatione ad aliud quoddam tempus præteritum ut præſens ſiſtatur, uti jam demonſtravimus, interdum tamen Imperfectum aliquid Futuri admittat, & commode ut *Futurum relativum*, ſeu *Futurum in re præterita* conſiderandum veniat. Sæpe fit, ut Imperfecto utamur eo in caſu, ubi non omnino præſens, ſed poſterius quid, adeoque futurum in relatione ad præcedens quoddam tempus præteritum ſignificamus; atque adeo tunc aliquem temporis ſucceſſum inter præcedens tempus præteritum, & inter id, quod Imperfecto exprimimus, obſervamus. Hoc paſſim fit in narratione Hiſtorica, quæ per continua Imperfecta decurrit; quum tamen inter ſingulas Hiſtoriæ partes aliquis detur temporis ſucceſſus, adeoque quæque poſterior pars in relatione ad quamque præcedentem, ut tempore poſterior, eoque ut Futura ratione præcedentis ſpectanda veniat. Exemplo ſit quod de Abrahamo narratur.

Interdum Imperfectum uſurpatur ut Futurum relativum, ſeu Futurum in re præterita.

Digitized by Google

Gen. XIV. *Proficiſcebatur adverſus Kedor-Laomer aliosque reges, & profligabat eos, ac perſequebatur eos, reducebatque omnes facultates.* Hæc commode Latino idiomate Imperfecto tempore narrantur; quum tamen inter ſingulam Hiſtoriæ partem aliquis temporis ſucceſſus notari poſſit; ita ut unaquæque ſequens periodus præcedenti ſit poſterior ratione temporis: nam ſi τὸ *profiſciſci* ut præſens a nobis concipiatur, τὸ *percutere* erit poſterius vel futurum quid: ſic & τὸ *perſequi* hoſtes eſt poſterius vel futurum quid ratione τοῦ *percutere.* Nam quo tempore Abraham egrediebatur, eo ipſo tempore τὸ *percutere* erat adhuc futurum quid; & ſic in reliquis. Verum iſta temporis ſucceſſio non adeo mihi in ipſa temporis Imperfecti natura & poteſtate fundata eſſe videtur, ſed potiſſimum ex natura & nexu rerum obſervanda: quum Imperfectum proprie mihi ſit præſens quoddam relativum. Si vero res ita ſe habeat, ut accurate ordo vel ſucceſſio temporis notanda ſit, his illisve particulis, temporis ſucceſſum denotantibus, veluti *dein*, *poſtea*, *porro*, aut ſimilibus id indicari poterit; hoc fere modo: *Abraham proficiſcebatur adverſus hoſtes, & dein percutiebat eos, ac poſtea eos perſequebatur* &c.

Hæc de *Imperfecto*, quatenus interdum *Futuro relativo* denotando inſerviat, obſervaſſe magno uſui in poſterum fore prævideo, utpote quo in caſu, ut mihi ſaltem videtur, Hebræi ſæpe ſuum adhibent Futurum, nimirum pro *Futuro relativo*, ſeu *Futuro in re præterita*; uti ſuo loco videbimus. Ven. de Bruin Diſſ. Laud. Pag. 20. Jam obſervaverat, *Imper-*

per-

perfectum tempus aliquid futuri involvere. At nondum probatum vidi, quomodo, vel quid futuri involvat: nam ſi tantum generatim dicatur; *quod imperfecte, & non perfecte præteritum eſt, eatenus ex parte ſaltem, eſt adhuc futurum.* Id mihi non ſufficit: tunc enim ex ſola denominatione, non vero ex ipſius temporis Imperfecti natura ratiocinamur; rerumque denominationes ſæpe non adeo ſunt concinnæ, aut omnem naturam & vim rerum exhauriunt. Neque præterea omnino iſta argumentatio procedit: nam ſit hoc tempus, de quo jam agimus, imperfecte præteritum, ex eo tamen non neceſſario ſequitur, quod ex parte adhuc futurum ſit: poteſt enim ex parte ut præſens ſpectari. Cæterum fateor, me neſcire, quid futuri ullo modo ſub Imperfecto lateat, ſi hoc non eſt, quod jam dixi.

§. VIII.

Plusquamperfectum eſt præteritum reſpectu alius præteriti, ſeu præteritum in re præterita.

Plusquam Perfecto tempore etiam pleræque Linguæ gaudent, at Hebræi id ignorant: quod tamen defectum Linguæ nequaquam arguit; quum proprie non ſit tempus abſolutum, ſed relativum, æque uti & Imperfectum. Sicuti vero Imperfectum ut præſens relativum, & quodammodo ut futurum relativum ſpectavimus, ita Plusquam Perfectum tale tempus eſt, quod non tantum abſolute ſpectatum, ſed etiam in relatione ad aliud tempus præteritum ut jam præteritum ſiſtitur; adeoque quod ratione temporis ſuum præcedens tempus præteritum jam præ-

ceſſit:

ceſſit: atque hoc modo Plusquamperfectum commode dixeris *Præteritum in re præterita*, uti Imperfectum proprie eſt *Præſens in re præterita*. Ex. Gr. *heri ſcripſeram epiſtolam*, eo ipſo τὸ *ſcribere* ut jam præteritum ſiſtitur reſpectu particulæ temporis *heri*, quæ etiam ipſa tempus præteritum deſignat. Similiter *Scripſeram epiſtolam*, *quando ad me veniebas*. Ubi *Scripſeram* ut jam præteritum venit reſpectu temporis præteriti, quod ſignificatur verbis, *quando ad me veniebas*. Tale *Plusquamperfectum*, præſertim ſi occurrat in Hiſtoria quadam continuata, quæ variis ſeque ſubſequentibus partibus conſtat, fere ut quædam hyſterologiæ ſpecies habendum, maxime ſi temporis ordinem vel ſucceſſum accurate obſervemus: nimirum res, quæ *Plusquamperfecto* exprimitur, quæque eo ipſo reſpectu proxime præcedentis temporis præteriti ut jam præterita ſiſtitur, omnino ratione ordinis temporis prior eſt illa re, quæ proxime præcedenti tempore exprimitur, licet poſterior narretur. Jam vero hoc in caſu duplici fere modo tale tempus Plusquamperfectum exprimi poteſt; vel id referendo ad tempus proxime præcedens, ſimulque indicando, id tempus reſpectu proxime præcedentis temporis præteriti jam ut præteritum venire: Atque hoc modo rem inſtituunt Latini aliique ſuo *Plusquamperfecto*, cujus ea propria vis eſt. Vel id referendo ad ulterius quoddam præcedens, a quo ratione ordinis temporis vere dependet, ſimulque hoc illove modo ſignificando, id tempus ad ulteriorem quendam temporis articulum, non vero ad imme-

immediate præcedentem pertinere: Atque hac ratione fere ſolent Hebræi, qui proprie Plusquamperfectum ſpeciali quadam flexione Grammatica non agnoſcunt. Quibus vero indiciis pateat, num Hebræorum Præteritum ex idiomate aliarum linguarum, vel ſimplici tempore præterito ſit vertendum, num vero Plusquamperfecto, ſeq. Diſſ. videbimus.

§ IX.

Modus ſubjunctivus qualis ſit.

Subjunctivus Modus Latinis aliisque in uſu, vere *Subjunctivus* dicitur, qui & *Relativus* dici poſſet: uſurpatur enim iſte Modus, *ita ut alii Modo abſoluto ſubjungatur, vel hanc illamve relationem ad illum habeat, ſive finem ſpectet, ſive conditionem, aut hanc illamve rationem exponat:* Adeo ut ſi forte Subjunctivus Modus ſolus veniat, & abſolutum videatur ſenſum formare, tunc elliptica ſit loquutio, hoc vel illo modo ſupplenda, uti contra Urſinum hoc adſerit & vindicat Cl. Perizonius ad Sanctii Min. Lib. I. Cap. 13. Pag. 89 & ſeqq. ad quem Lectorem remitto.

Hinc fit, ſi Modus ille ſit *Subjunctivus*, adeo ut alteri cuidam Verbo ſubjungatur, ut paſſim etiam futurum tempus reſpiciat: * etiam ubi de re præterita ſermo eſt, ubi paſſim Futurum quoddam *relativum* reſpectu præcedentis verbi vel commatis, cui ſubjungitur, ſignificat. Cl. Perizonius negat quidem,

* Hinc eſt, quod hujus Modi Præſens & Aoriſti apud Græcos ſæpe pro Futuro Indicativi uſurpentur, uti oſtendit Cl. Bos Exerc. Philol. ad Matth. XI. 3.

Digitized by Google

dem, quod Subjunctivus Modus ſolus & per ſe futurum tempus denotet; de quo contra Sanctium & Urſinum loco laud. diſputat, quos adire licet. Sufficit mihi hac in parte, ſi Cl. Perizonius agnoſcat, uti facit, quod iſte Modus maxime inſerviat ad rem futuram denotandam, quodque tamen in illa re futura etiam præſentis & præteriti diſtinctionem ſervet. Id maxime mihi videtur velle Vir Cl. Subjunctivum Modum non hoc ſenſu futuri eſſe temporis, ut non etiam in Subjunctivo Præſens & Præteritum obſervari poſſint. Quod facile conceſſerim; nam uti in re præterita Præſentis, Præteriti & Futuri diſtinctionem mox obſervavimus, ſic non minus commode in Futuro tempore Præſens, Præteritum, & Futurum diſtinguere licet; Quod ex ulteriori de temporibus Subjunctivi Modi disquiſitione clarius patebit.

Præſens & Imperfectum Subjunctivi, qualia ſint tempora.

Præsens & Imperfectum Subjunctivi quod attinet, talia mihi videntur eſſe tempora, quæ vel abſolute, ſuo tamen modo, futurum tempus denotant; vel ſaltem, ſi de re præterita uſurpantur, futurum relativum, hoc eſt, futurum in re præterita, quod ratione periodi ſeu commatis præcedentis, (quod vel exprimitur, vel ſi per ellipſin deeſt, ſupplendum eſt) poſterius adeoque futurum eſt, uti ex ipſius rei natura ſatis eſt manifeſtum. Hujus rei exempla non addo, eorum copia videri poteſt apud Sanctium, & in Notis Cl. Perizonii l. l. Verbo tantum dico, exempla, quæ Perizonius Num. 5. citat, ubi Imperfectum Subjunctivi Præteriti Significatione veniret, id mihi non ſatis probant: fateor

fateor iſta tempora abſolute ſpectata præterita ſunt, ſeu de re præterita dicuntur: at reſpectu periodi antecedentis, a qua dependere iſta Imperfecta Subjunctivi cenſenda ſunt; quæque ſi non adeſt, ſecundum mentem ipſius Perizonii, hoc vel illo modo ſupplenda erit, vere ut Futura, quæ *relativa* dico, habenda ſunt.

Præter hæc tempora agnoſcunt Latini aliique Præteritum Perfectum, Plusquamperfectum, & Futurum Subjunctivi: quod Futurum Subjunctivi præter primam perſonam Singularem Latinis nihil differt a Præterito; & forte etiam quodad uſum & poteſtatem inter hæc duo tempora non major obſervanda erit differentia. Circa *Futurum Subjunctivum* obſervandum, id tempus proprie notare rem *præteritam in futuro tempore*, ſeu *Præteritum in re futura*; hinc Grammaticis dictum *Futurum exactum.* Sanctius etiam *Præterita Subjunctiva*, ut *amaverim*, *docuerim* ſæpe futuri eſſe temporis notat. Fateor, videntur ſæpe Latini hæc tempora confundere; adeo ut *Præteritum ſubjunctivi* ſæpe uſurpetur in re futura, ac proin veniat loco *Futuri ſubjunctivi*, notante id etiam Cl. Perizonio. Exemplo ſit dictum Terentii in Andr. citatum a Sanctio: *ea lege atque omine, ut ſi te inde exemerim, ego molam pro te.* Hic certe τὸ *exemerim* de re futura dicitur; at ſimul hoc modo, ut tanquam jam præteritum veniat in hoc futuro: nam τὸ *eximere* hic eſt aliquid prius ſeu anterius ratione periodi, *ego molam pro te.* Si enim τὸ *ego molam pro te* ut præſens in mente ſiſtatur, tunc τὸ *exemerim* ut res jam præterita obveniet.

Quo loco paſſim uſurpentur Præteritum & Futurum ſubjunctivi.

veniet. Idem & in hoc dicto obſervandum: *ego cras poſtquam prandium ſumſeris, veniam.* Adeoque *exemerim* & *ſumſeris* hic erunt præterita in re futura: atque hujusmodi tempus hic omnino obſervandum; quia Hebræi ſæpe, ut ſuo loco videbitur, hoc in caſu ſuum præteritum adhibent; atqui, uti ex dictis liquet, hic etiam maxime Præteritum ſpectandum venit, licet de re futura ſermo ſit.

Plusquamperfectum ſubjunctivi quale ſit tempus.

Plusquamperfectum Subjunctivi in eo ab *Imperfecto Subjunctivi* videtur differre, *quod Plusquamperfectum illi addat notionem præteriti*. Ex. gr.: quum dico: *Si auſcultaveras mihi, amarem te.* Hic τὸ *amarem* ut poſterius quid, adeoque ut futurum relativum venit: at quum dico: *ſi auſcultaveras mihi, amaviſſem te*; tunc inſuper in τῷ *amaviſſem* Præteriti ſignificatio involvitur.

Quod vero hæc tempora, *Perfectum*, *Plusquamperfectum* & *Futurum Subjunctivi* vere Præteritum Significent, ex eo etiam probat Cl. Perizonius l. l. quod ea tempora a Præterito Perfecto Indicativi formata ſint. Eodem fere modo Vernacula noſtra Lingua diſerte in hiſce temporibus ſimul & præteritum & futurum, quod in iis obſervandum, exprimit; ut quum dicimus: *wanneer ik ſal gedaan hebben*, *wanneer ik ſoude gedaan hebben.* Futurum indicant vocibus *ſal* & *ſoude*; Præteritum vero voce *hebben.*

Optativus Modus qualis ſit.

Optativum Modum Græcis in uſu, Latini proprie non agnoſcunt: At Subjunctivus Modus ipſis maxime *Optativi* vim & uſum habet. De hoc Modo hic nihil fere præterea obſervandum, niſi quod, uti & Modus Subjunc-

junctivus, maxime futurum tempus reſpiciat; quodque in ſuis temporibus fere cum Modo Subjunctivo conveniat.

§. X.

Præter hoſce Modos & alii varii Modi à Grammaticis recenſentur, ut *Modus Potentialis*, *Depredicativus*, *Permiſſivus*, *Promiſſivus*: quibus & pari jure addi poſſunt *Adhortatorius*, vel *Dehortatorius*. Scio equidem, Modos in re Grammatica non ultra modum eſſe multiplicandos; atqui non eo fine varii hi Modi a nobis enumerantur, acſi ulla quædam detur lingua, in qua omnes hi Modi ſingulari quadam flexione aut terminatione exſtarent: nihilominus tamen uſum ſuum habere poterit, varios hos Modos obſervaſſe; nimirum ut hoc pacto liqueat, quam vario modo, ſine ulla ampliori periphraſi, verbi alicujus ſignificatio modificari poſſit; Simulque eo doceamur, quod unus aliquis Modus ſæpe variam ſeu plurium Modorum vim & poteſtatem habeat. Sic Subjunctivus Modus apud Latinos, & Optativus Græcorum maximam partem horum Modorum ſub ſe continent. Sic & Modus Imperativus ita dictus, quod præcipue imperando inſerviat, etiam aliam Variamque habet vim ac poteſtatem; uti *rogandi*, *flagitandi*, *permittendi*, itemque *adhortandi*, vel *dehortandi*: qui omnes ut ſpeciales quidam Modi ſub generaliori *imperandi* titulo quaſi comprehenduntur. Modus Subjunctivus Latinorum etiam *optandi* uſum agnoſcit: quin & Latini ſuo Futuro

Varii alii enumerantur Modi.

Vis Modi Imperativi.

turo Indicativi etiam *vim Imperativi* & *Optativi* tribuunt, notante Cl. Perizonio ad Sanctii Min. Lib. I. Cap. 13. §. 2. Hebræos vero quod attinet, Varios hos Modos, utpote quæ vere ut futuri temporis habentur, maxime ſuo Futuro Significant: uti ſuo loco docebimus.

§. XI.

Sæpe unum tempus alterum includit.

Verum de natura & uſu *Temporum Definitorum* hic generatim aliquid præmonendum, quod dein nobis uſui eſſe poterit; nimirum licet Tempora abſoluta & definita, uti Præſens, Præteritum & Futurum quam maxime inter ſe differre videantur, ſæpius tamen rem ita ſe habere, ut vix ac ne vix quidem a ſe invicem diſcerni queant; ſed potius unum tempus aliud ſimul includat; nimirum ut Præteritum ſimul Præſens includat, aut Præſens Futurum. Hujus rei ratio hæc eſt, quod Præſens tempus tantum ſit momentaneum, quodque adeo, quum actio vel paſſio, quæ verbo ſignificatur, ſæpe quodammodo ſit continua, aut per aliquod tempus durans, Præſens tempus ſæpe aliquid Præteriti vel Futuri includat, uti & præteritum præſentis quid. Hanc in rem optime mihi obſervaſſe videtur Cl. Perizonius ad Sanctii Min. Lib. I. Cap. 13. pag. 97. *quod præſentis temporis momentum habetur pro extremo præteriti, & primo initio futuri.* Hinc jam merito concludimus.

I. Quod Præſens tempus ſæpe commode & eleganter uſurpetur de eo, quod mox futurum eſt, ſeu de opere, quod jam molimur,

&

Digitized by Google

& ad quod peragendum nos accingimus, ſive cujus initia jam quaſi ſpectantur. Hoc in Græco N. T. ſermone non inuſitatum eſt, Luc. I. 35. τὸ γεννώμενον pro γεννηθησόμενον, *naſcens* pro *naſcituro*. Cap. XII. 20. ἀπαιτοῦσι pro ἀπαιτήσουσι, *hac nocte auferent animam tuam*. Sic & apud Ariſtoph. in Pluto vs. 57. δρῶ pro δράσω. Hujus rei qui plura exempla deſiderat, adeat Joh. Georg. Grævium in Lect. Heſiod. Cap. I. Ill. Spanhem. ad Callim. hymn. in Delum V. 204. & Cl. Perizon. l. l.

II. Quod actio vel paſſio ſimul ut præſens, & ſimul ut futura ſpectari poſſit; nimirum quando ea eſt continua, & per aliquod tempus durans; maxime ſi talis ſit, ut licet præſens, tamen in futurum tempus ſe extendat, atque in eo finiatur: ex. gr. ſi roget quis: *quid quæris? quo abis?* in iſtis actionibus continuis ſimul præſens & futurum recte obſervantur. Hoc in caſu Hebræi Futuri amantes maxime futurum tempus adhibent; interdum etiam ſuum participium Benoni, quod proprie præſens quoddam continuum ſignificat, ut ſuo loco videbitur: quum pleræque aliæ linguæ hic præſenti tempore magis uti ſoleant.

III. Hinc etiam fit, ut id, quod maxime præteriti temporis eſſe videtur, præſenti exprimamus; præſertim ſi res ſit continua & perſeverans, adeoque non minori jure ut præſens, quam ut præterita conſiderari poſſit. Hoc in caſu ſæpe pro lubitu vel præterito vel præſenti tempore uti licet. De præſenti hic adhibito exempla vide apud Cl. Perizon. l. l.

IV. Interdum contra fit, ut id, quod præ-

ſentis temporis eſſe videtur, præterito exprimatur; quando nimirum ita ſe res habet, ut quædam continua actio vel paſſio indicetur, & illud præſens præteritum tempus non excludat, ſed magis includat; quandoque adeo res non ſolum ut præſens, ſed & ſimul ut præterita, quæque aliquamdiu fuit, ſpectanda ſiſtatur. Hoc modo paſſim Latini utuntur præteritis *memini*, *odi*, *novi*: quarum vel præſens non eſt in uſu, vel ſi agnoſcant, ſaltem hiſce præteritis maxime ſignificatione præſentis utuntur. Præſertim hoc in Lingua Hebræa obſervandum erit in verbis *qualitatem* quandam, *conditionem* aut *ſtatum* denotantibus, quæ ſua natura non adeo definitum tempus denotant, ut præſens tempus præteritum aut futurum excludat, ſed maxime in iis præſens & præteritum tempus ſimul, immo interdum etiam futurum obſervantur: quatenus ſcilicet qualitas aut ſtatus durationem quandam aut tempus continuum requirere videntur. Qualia verba Hebræis ſunt חלה / נבל / רשע / צדק / מלך ſimiliaque. Hujusmodi verbis longe uberior eſt Hebræa Lingua præ aliis, quæ maxime ea formant periphraſi quadam nominis adjectivi, & verbi ſubſtantivi *ſum*, uti *juſtum eſſe*, *impium eſſe*. Hinc neceſſario quædam ingenii differentia ratione temporis orietur Hebræam inter aliasque Linguas: quum hic ſoleant Hebræi ſuum Præteritum ita adhibere, ut præſens tempus ſimul includat; aliæ vero Linguæ hic ſuum Præſens ponant, ita ut Præteritum ſimul connotet. Ex. gr. Jeſ. XXXIII. 24. חליתי *ægroto* vel *ægrotus ſum*. Quod non vertendum *ægro-*

tus

tus fui : nam hoc præſens tempus excluderet. Hujusmodi vero res pro cujusque Linguæ genio, æque commode & analogice vel præterito vel præſenti ſignificari poterit. Sic & Job X. 15. אם רשעתי אם צדקתי *ſi improbus ſim, ſi juſtus ſim*: ubi maxime etiam res præterita indigitatur.

Hæc ea fini notare volui, ut vel hinc liqueat, ſæpe temere nimis temporum Enallagas a Grammaticis fingi, ubi revera non ſunt, atque uſus horum temporum vere analogus eſt; immo ſæpe ſingularis quædam elegantia aut emphaſis obſervanda.

§. XII.

De Temporibus Indefinitis.

Hactenus de *Temporibus Definitis*; pauca jam nobis obſervanda reſtant de TEMPORIBUS INDEFINITIS, Græce Α'οριστοῖς dictis, ad quæ ſignificanda Græci ſpeciali quadam flexione Grammatica gaudent, ſeu temporibus hinc, uti videtur *Aoriſtis* dictis. Num vero Græci hiſce ſuis temporibus *Aoriſtis* ſemper ἀοριστῶς ſeu indefinite utantur, an vero ipſis uſu invaluerit, interdum hæc tempora definite, ſeu loco alicujus temporis definiti, ſive Imperfecti, ſive Perfecti uſurpare, hic non inquiro, nec inſtituti ratio id poſtulat.

Sæpe fit, immo forte ſæpius ac quidem vulgo obſervatur, ut indefinite loquamur; hoc eſt, ut non adeo definitum aliquod tempus, Præſens ſcilicet, Præteritum aut Futurum, quodque alia tempora excludit, exprimere in animo ſit, vel ad id non adeo attendatur; Sed ut prædicata magis in gene-

Digitized by Google

re, ſine ulla ſpeciali temporis determinatione, ſuis ſubjectis jungantur. Hujusmodi loquendi modus maxime in proferendis parœmiis vel adagiis obſervandus, aut ubi quædam actio vel paſſio ſolita aut continua obſervatur; quando non adeo attenditur, quid ſit, vel fuerit, aut futurum ſit, at præſertim nexus ſeu relatio inter ſubjecta, & ſua prædicata in genere obſervatur. In his ſimilibusque loquendi modis, tale Indefinitum ſeu Aoriſtum tempus ſæpe commoda periphraſi ope verbi *ſoleo* exprimitur. Hoc modo ſæpe Græci utroque ſuo Aoriſto utuntur, uti oſtendit Vigerus de Idiotismis Ling. Gr. Cap. V. Sect. 3. Reg. 11. Hoc modo Aoriſti veniunt Matth. XIII. 48. συνέλεξαν & ἔβαλον. Ariſtoph. in Equit. V. 567. Κοὐδεὶς οὐδεπώποτ' αὐτῶν τοὺς ἐναντίους ἰδὼν ἠρίθμησεν. *Et nemo unquam eorum hoſtes videns, eos numerare ſolebat*, h. e. *non anxie curare ſolebant, adeoque non adeo timebant hoſtes.* Plura exempla dabunt Grævius ad Heſiodi Ἔργα vs. 185. & Perizonius ad Ælianum Lib. I. Var. Hiſt. Cap. 4.

Hebræi vero, Latini, nos Belgæ aliæque paſſim Gentes hiſce Aoriſtis temporibus, ſpeciali quadam terminatione Grammatica deſtituimur; adeoque cogimur talia Indefinita tempora vel periphraſi verbi *ſoleo* aut *amo*, vel tempore aliquo Definito, Futuro præſertim vel Præſenti exprimere, atque hoc vel ſimili modo hunc defectum ſupplere. Eo vero in caſu hoc fere modo vel Præſenti vel Futuro tempore utimur, ut alia quævis tempora non excludantur, ſed potius includantur: ex. gr. quum Præſenti tempore dicimus;

Digitized by Google

mus; *Sapiens nihil fruſtra facit*, *Prudens tempora obſervat*; aut *ſapiens prævidet malum*, *ſeque occultat.* Hiſce non adeo intendimus aliquod determinatum tempus indicare, quo hæc fiant; Sed præſens tempus hac mente atque intentione ponitur, ut ſimul præteritum & futurum quaſi includat, idque eo ſignificemus, *quod Sapiens aut Prudens ſemper & continuo facit, aut ſolet*; vel *quod facit*, *fecit vel faciet quacunque data occaſione.* Eodem modo ἀορίστως in futuro dicere licebit: *ſapiens prævidebit malum.* Quo Futuro etiam Præſens aut Præteritum non excluduntur, uti alias quum definite loquimur. Latinos vero hoc loco interdum ſuo Futuro uti, oſtendit Cl. Grævius l. l.

§. XIII.

Hæc circa Tempora Modosque, eorumque varium uſum ac poteſtatem in Linguis in anteceſſum obſervaſſe utile, quin fere neceſſarium duxi. Hiſce præmiſſis via nobis ſternitur, non ſolum ad concinnandam commodam Hebræorum inter, aliorumque Tempora Modosque harmoniam: verum ſimul ex iis docebimur, decantatas adeo Temporum Modorumque Enallagas, maxime in Hebræa Lingua obſervatas, legitimis ſuis cancellis circumſcribere.

Enallagæ in Temporibus & Modis quid ſint.

ENALLAGÆ in Verborum Modis ſeu Temporibus dicuntur, *quando unum Tempus aut Modus alterius loco ponitur*; *atque adeo quando contra genuinam ac conſtantem poteſtatem ſeu uſum regulis Grammaticis obſervatam & confirmatam, cuidam tempori aut modo alterius cujusdam temporis*

re, ſine ulla ſpeciali temporis determinatione, ſuis ſubjectis jungantur. Hujusmodi loquendi modus maxime in proferendis parœmiis vel adagiis obſervandus, aut ubi quædam actio vel paſſio ſolita aut continua obſervatur; quando non adeo attenditur, quid ſit, vel fuerit, aut futurum ſit, at præſertim nexus ſeu relatio inter ſubjecta, & ſua prædicata in genere obſervatur. In his ſimilibusque loquendi modis, tale Indefinitum ſeu Aoriſtum tempus ſæpe commoda periphraſi ope verbi *ſoleo* exprimitur. Hoc modo ſæpe Græci utroque ſuo Aoriſto utuntur, uti oſtendit Vigerus de Idiotismis Ling. Gr. Cap. V. Sect. 3. Reg. 11. Hoc modo Aoriſti veniunt Matth. XIII. 48. συνέλεξαν & ἔβαλον. Ariſtoph. in Equit. V. 567. Κοὐδεὶς οὐδεπώποτ' αὐτῶν τοὺς ἐναντίους ἰδὼν ἠρίθμησεν. *Et nemo unquam eorum hoſtes videns, eos numerare ſolebat*, h. e. *non anxie curare ſolebant, adeoque non adeo timebant hoſtes.* Plura exempla dabunt Grævius ad Heſiodi Ἔργα vs. 185. & Perizonius ad Ælianum Lib. I. Var. Hiſt. Cap. 4.

Hebræi vero, Latini, nos Belgæ aliæque paſſim Gentes hiſce Aoriſtis temporibus, ſpeciali quadam terminatione Grammatica deſtituimur; adeoque cogimur talia Indefinita tempora vel periphraſi verbi *ſoleo* aut *amo*, vel tempore aliquo Definito, Futuro præſertim vel Præſenti exprimere, atque hoc vel ſimili modo hunc defectum ſupplere. Eo vero in caſu hoc fere modo vel Præſenti vel Futuro tempore utimur, ut alia quævis tempora non excludantur, ſed potius includantur: ex. gr. quum Præſenti tempore dicimus;

mus; *Sapiens nihil fruſtra facit*, *Prudens tempora obſervat*; aut *ſapiens prævidet malum*, *ſeque occultat*. Hiſce non adeo intendimus aliquod determinatum tempus indicare, quo hæc fiant; Sed præſens tempus hac mente atque intentione ponitur, ut ſimul præteritum & futurum quaſi includat, idque eo ſignificemus, *quod Sapiens aut Prudens ſemper & continuo facit, aut ſolet*; vel *quod facit*, *fecit vel faciet quacunque data occaſione*. Eodem modo ἀοριστῶς in futuro dicere licebit: *ſapiens prævidebit malum*. Quo Futuro etiam Præſens aut Præteritum non excluduntur, uti alias quum definite loquimur. Latinos vero hoc loco interdum ſuo Futuro uti, oſtendit Cl. Grævius l. l.

§. XIII.

Hæc circa Tempora Modosque, eorumque varium uſum ac poteſtatem in Linguis in anteceſſum obſervaſſe utile, quin fere neceſſarium duxi. Hiſce præmiſſis via nobis ſternitur, non ſolum ad concinnandam commodam Hebræorum inter, aliorumque Tempora Modosque harmoniam: verum ſimul ex iis docebimur, decantatas adeo Temporum Modorumque Enallagas, maxime in Hebræa Lingua obſervatas, legitimis ſuis cancellis circumſcribere.

Enallagæ in Temporibus & Modis quid ſint.

ENALLAGÆ in Verborum Modis ſeu Temporibus dicuntur, *quando unum Tempus aut Modus alterius loco ponitur*; *atque adeo quando contra genuinam ac conſtantem poteſtatem ſeu uſum regulis Grammaticis obſervatam & confirmatam, cuidam tempori aut modo alterius cujusdam temporis*

vel modi vim aut poteſtatem tribuimus. Quivis facile animadvertit, ſi absque ulla limitatione tales *Enallagæ* admittantur, ut pro cujusque arbitrio unum tempus modumque alterius loco ponere liceat, omnes regulas Grammaticas prorſus inutiles fore, atque tunc de omni certo in dicto aut ſermone actum eſſe: nimirum ſi liceat unum aliquod tempus, ubi definite loquimur, & reliqua tempora excluduntur, in aliud quoddam tempus convertere, quod ab eo omnino differt, uti Præteritum a Futuro; quodque nec abſolute, nec relative ſpectatum cum eo congruit, idque ſine ulla ſpeciali aut ſatis legitima ratione. Tales Enallagas non facile in profano quodam Scriptore, multo minus in Sacro Sancto Codice admiſerim; easque adeo, ut omne certum plane evertentes, & ex quolibet quidlibet fingendi anſam præbentes, ac proinde ſtylo Spiritus Sancti minime dignas, merito exſtirpandas & eliminandas eſſe putamus.

Verum uti cuique Linguæ ſuus proprius eſt Genius, quumque adeo ſingularis, atque a reliquis omnibus Linguis diverſa ſit Hebrææ Linguæ methodus in formandis ſuis temporibus & modis, quædam mihi limitationes obſervandæ ſunt, quibus hæ aut illæ loquendi formulæ, quæ prima ſpecie in enallagarum ſeriem facile recenſeantur, e numero hujusmodi vituperandarum anomaliarum jure merito eximantur, atque ad analogiam reducantur. Obſervo itaque non eſſe veri nominis Enallagen aut Anomaliam.

I. Quando præſens tempus pro futuro ponitur; eo nimirum in caſu, quando de inſtanti

ſtanti vel mox futuro ſermo eſt; & quidem ea intentione, ut hoc præſenti tempore ſignificare velimus, non tantum in genere rem quandam aliquando futuram, verum mox ſeu ſtatim eam futuram eſſe; adeo ut res futura ut jam præſens quodammodo ſpectanda ſiſtatur. Ex. gr. ſi quis dicat *venio* pro *mox* vel *ſtatim veniam*. Confer ea, quæ jam ſupra §. XI. Num. 1. obſervavimus.

II. Nec ut vera aut vitioſa enallage haberi poteſt, ſi Hebræi ſuum Futurum ponant loco Futuri Relativi, (quod commode Imperfecto vertitur) vel pro Modo Subjunctivo: quandoque adeo Futurum Hebræum interdum Imperfecto, vel Præſenti aut Imperfecto Subjunctivi vertendum ſit in aliis Linguis: quum Hebræi tempus Imperfectum Præteritum, uti & Modum Subjunctivum proprie non agnoſcant; atque adeo fere coguntur temporibus ſuis abſolutis etiam relative vel ſubjunctive uti. Hac in parte nobis ſufficit oſtendiſſe, Futurum Hebræorum, ſi hoc modo relative vel ſubjunctive veniat, vere futuri indolem aut naturam retinere, quod obſervaſſe atque demonſtraſſe mihi videor §. VII. & IX.

III. Nec Enallages nomen merebitur, ſi Hebræorum Præteritum ex idiomate aliarum Linguarum vel Imperfecto vel Plusquamperfecto vertendum ſit; quum hæc tempora vere præteritum tempus ſignificent, uti §. VI. & VIII. obſervatum dedimus. Hebræi talia tempora relativa proprie non agnoſcunt; quin & facile iis carere poſſunt; quum omnem rem præteritam ſimplici plano

modo unico ſuo Præterito ſignificent, quumque ex rerum argumento vel circumſtantiis facile elicere detur, cujus modi hoc præteritum ſit ex indole aliarum Linguarum, num imperfecte præteritum, num plusquamperfecte.

IV. Nec vera temporis erit Enallage, ubi de re continua ſermo eſt; adeo ut Præſens non excludat, ſed potius includat Præteritum, uti & Præteritum Præſens, quando pro alicujus Linguæ idiotismo Præteritum interdum paullo commodius Præſenti, aut Præſens Præterito vertitur: quum in hoc caſu duo hæc tempora ſimul obſervanda ſint, altero alterum non ſecludente. Talis vero qualiscunque dicta Enallage ſæpiſſime facile evitari poterit; maxime ſi ea non delectemur, neque eam, ubi revera non eſt, ſtudioſe quæramus. Conferenda hic, quæ §. XI. Num. 3, 4. obſervavimus.

V. Nec veri nominis Anomalia ſeu Enallage haberi poterit; ſi in actione aut paſſione quadam continua, ubi præſens & futurum tempus ſimul obſervanda ſiſtuntur; adeo ut futurum tempus præſens non excludat, uti nec præſens futurum, id quod Hebraïce futuro tempore dicitur, forte paullo commodius ex indole noſtræ Vernaculæ aut Latinæ Linguæ, præſenti tempore vertatur. Confer quæ ſupra §. XI. Num. 2. obſervata dedimus. Hoc ſi ad animum revocetur, pleræque hujusmodi Enallagæ, ubi Hebræorum *Futurum* veniat pro *Præſenti*, ultro evaneſcent.

VI. Nec ſpeciem quidem Enallages Temporum

Digitized by Google

porum habere cenſendum ; ſi Hebræorum Futurum, ubi ἀοριστῶς ſeu *indefinite* loquimur, ex indole aliarum Linguarum, Græce ſuo Aoriſto, Latine aut Belgice præſenti tempore vertam: quum ſatis analogice *Indefinitum Tempus* pro lubitu, aut potius ex uſu Linguæ, Præſenti vel Futuro exprimere liceat; uti §. XII. uberius demonſtravimus.

§. XIV.

Ex hactenus obſervatis jure merito concludi poſſe exiſtimem, omnino impoſſibile eſſe, in verſione Hebrææ Linguæ in Latinam, Vernaculam noſtram aliamve, ſemper Tempus Tempore, aut Modum Modo vertere; quum Hebræa Lingua paucis ſuis temporibus omnes temporum formas ſignificet, quas aliæ quæcunque Linguæ Variis ſuis Temporibus ac Modis. Hinc plane perſuaſus ſum, me oleum & operam perditurum, ſi eo allaborarem. Enim vero, ſi adeo ſingularem, atque a reliquis Linguis diverſam in Hebræa Lingua obſervemus methodum in Verborum Temporibus & Modis formandis ac ſignificandis, mihi ſaltem in hac de Hebræorum Temporibus ac Modis Disquiſitione ſufficiet, & ſcopum meum adſequutus eſſe mihi videbor, ſi ſecundum indolem Linguæ omnem modum, quo varia tempora modosque exprimere amant Hebræi paucis ſuis temporibus, certis quibusdam regulis, locorum inductione paſſim formatis probatisque, adſtringam; Simulque oſtendam, Hebræos ſemper pro-priam

Ex prædictis elicitur, Singularem plane, atque a Reliquis Linguis diverſam eſſe hac in parte indolem Hebrææ Linguæ.

priam atque analogam ſuorum Temporum, ſive abſolute, ſive relative ſpectentur, vim ac ſignificationem ſervare: atque adeo Hebræam Linguam a labe Vituperandæ Anomalias ſeu Enallages purgem & vindicem. Ad quod quantumpote in ſequentibus Diſſertationibus præſtandum me fauſto Deo ac Patre luminum jam accingo.

ANA-

ANALOGIÆ
TEMPORUM ET MODORUM
HEBRÆAE LINGUÆ
DISSERTATIO SECUNDA.

Qua varia Simulque Analoga Poteſtas & Uſus PRÆTERITI *Hebræorum inveſtigatur.*

§ I.

Primam propriamque PRÆTERITI Hebræorum poteſtatem ac vim eſſe, ut *tempus abſolute & perfecte præteritum* ſignificet, quivis facile mihi largietur; adeo ut prorſus ſupervacaneum videri poſſit, id productis exemplis demonſtrare: ut tamen res ipſa eo clarior evadat, atque hic primarius Præteriti uſus ab aliis, qui tamen vere præteriti ſunt temporis, at ex indole aliarum Linguarum diverſo modo ſignificantur, paullo diſtinctius concipiatur atque diſcernatur, unum aut alterum ex ingenti, qua S. Codex refertus eſt, copia in medium producam. GEN. IV. 10. Deus Caïnum rogat מֶה עָשִׂיתָ *quid feciſti?* qua interrogatione res perfecte et omni modo præterita clare indigitatur. In poſteriori hujus Commatis hemiſtichio Præteritum hoc a præſenti tempore diſtingui-

Primarius Præteriti Hebræi uſus eſt, ut tempus abſolute & perfecte præteritum ſignificet.

Gen. IV. 10.

guitur, ubi Deus de re præſenti loquens dicit: *vox ſanguinum fratris tui* צֹעֲקִים אֵלַי *clamant ad me.* Hoc modo Hebræos ſuo Participio Benoni præſens tempus indicare infra ſuo loco videbimus. Sic & Gen. VI. 7. *delebo hominem*, אֲשֶׁר בָּרָאתִי *quem creavi.* Si quis forte plura hujus rei exempla cupiat, inſpiciat loca Gen. III. 13. XII. 18, 19. 1 Sam. XV. 1, 2.

§. II.

Variæ hic a Grammaticis & Interpretibus Præteriti Enallagæ vel finguntur, vel admittuntur; maxime qua veniat pro Futuro.

Sal. Glaſſius in Anomaliis ſeu Enallagis fingendis feraciſſimus, in ſua Grammatica Sacra Lib. III. Tract. 3. Can. 46. Enallagen Præteriti pro Futuro ſtatuit tantum in his duobus caſibus. Primo, *ubi Præteritum venit cum* ו *Converſivo.* Secundo, *in Propheticis Scriptis.* De quibus ſuo loco dicendum erit. At vero, ſi eadem, qua paſſim Interpretes, licentia uſus fuiſſet, etiam ſine ulla limitatione ipſi pronuntiare liceret; Sæpiſſime Præteritum venire loco Futuri, etiam in ſimpliciſſima narratione hiſtorica, atque ubi res omni modo præterita obvenit. Sæpe enim videre licet, quod vere dolendum, Interpretes & Commentatores levi vel nulla de cauſa Præteritum Futuro vertere, plane eum in modum acſi omnino promiſcuus horum Temporum apud Hebræos eſſet uſus; quod ego non facile crediderim: dantur enim loca, ubi Præteritum, licet commode ſatis, immo commodius Præteriti Significationem retinere poſſet, fere quaſi pro mero lubitu; nam in quibusdam ſaltem

ſaltem locis non alia mihi ſuccurrit ratio, in Futuro ab Interpretibus vertatur: quod certe non feciſſent, niſi temeraria, immo aperte falſa hypotheſi, de quacunque Temporum Enallage in Hebræa Lingua uſitata, abrepti. Ut vero dictis fidem præſtem, lubet nonnulla loca, quæ huc ſpectant, breviter illuſtrare, iisque analogum Præteriti uſum reddere.

Gen. XXX. 13. Hic Lea uxor Jacobi, Gen. XXX. 13.
poſtquam ancilla Zilpa ei filium alterum pepererat, dicit: באשרי כי אשרוני בנות *ad meam felicitatem. nam felicem me prædicaverunt filiæ.* Paſſim Interpretes hoc Præteritum Futuro vertere videas: *felicem me prædicabunt.* Rationem fere neſcio. Quidni & beata prædicari potuerit Lea, poſtquam Zilpa jam altera vice gravida comperta fuerat, quin & maxime ipſo partus tempore? nam dixit hæc Lea, poſtquam jam Zilpa pepererat. Si vero præſertim futurum quid in mente habuerit Lea, quare non futuro tempore loquuta fuiſſet, & loco אשר nomen יאשר infanti indidiſſet? Uti & Rachel filio primigenito futuri forma nomen יוסף impoſuit; quum futurum tempus reſpiciens, dixerit: יסף יהוה לי בן אחר uti eſt ejusdem Capitis V. 24.

Gen. XLVIII. 6. Poſtquam Jacobus filio Gen. XLVIII. 6.
ſuo Joſepho dixerat: *ambo filii tui, qui tibi nati ſunt in terra Ægypti, usque ad adventum meum ad te in Ægyptum, mei ſunt, Ephraïm & Menaſſe, ſicut Ruben & Simeon mihi erunt*; hæc addit

addit וּמוֹלַדְתְּךָ אֲשֶׁר הוֹלַדְתָּ אַחֲרֵיהֶם לְךָ יִהְיוּ *at progenies tua, quæ tibi nata eſt poſt eos, tibi erunt.* Quidam Interpretes Præteritum הולדת futuro tempore reddunt. At nullam neceſſitatis rationem video: plus quam veroſimile mihi redditur, ſeptendecim illis annis, quibus Jacobus vixit in Ægypto, plures liberos Joſepho natos fuiſſe præter Ephraïm & Menaſſe, qui jam nati erant antequam Jacobus venerat in Ægyptum; licet id non diſertis verbis narretur: adeoque Jacobus jam jam moriturus, præterito tempore dicere potuit: *progenies tua, quæ tibi nata eſt poſt eos.* Si vero & poſt mortem Jacobi filios genuerit Joſephus, hi certe eidem huic legi fuiſſent ſubjecti. LXX. Interpretes hoc Præteritum vertunt Aor. I. Subjunctivi ἐὰν γεννήσῃ, atque hoc modo etiam Junius & Tremellius: *ſi genueris.* Quod quodad indolem Linguæ ſatis ferri poſſet, quum Hebræorum Præteritum ſæpe veniat loco Præteriti aut Futuri Subjunctivi, h. e. loco Præteriti in re futura; uti ſuo loco indicabimus. Num vero ex rerum circumſtantiis, hic ſatis ſolida ſit ratio, quare hoc Præteritum Subjunctive aut conditionate vertatur, non ſatis video.

Joſ. IV. 24. Jos. IV. 24. Hic poſtquam Joſua populo dixerat, *exſiccaſſe Jehovam aquas Jordanis, donec ſicco pede tranſiiſſent Israëlitæ, ſicuti Deus antea fecerat mari algoſo*; haſce addit rationes למען דעת כל עמי הארץ את יד יהוה כי חזקה היא למען יראתם את יהוה אלהיכם כל

כל הימים: *ut agnoſcant omnes populi terræ manum Jehovæ, quod robuſta ſit: propterea quod timuiſtis Jehovam Deum veſtrum omnibus illis diebus.* Poſterius hoc hemiſtichium omnes fere Interpretes Præſenti Subjunctivo vertunt; quod ſaltem hic futurum tempus indicaret. LXX. habent, καὶ ἵνα ὑμεῖς σέβησθε Κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν. Uti etiam Chaldæus Interpres, notante Cl. Coccejo in Lex. ad V. למען. Junius & Tremellius vertunt: *ut timeatis.* Et ſic fere alii omnes. At vero ſi hic ſenſus ſit hujus loci, quare non, uti conſtanter alibi, loco Præteriti לְמַעַן יְרָאתֶם dictum fuerit vel futuro tempore לְמַעַן תִּירְאוּ vel in Infinitivo, לְמַעַן יִרְאַתְכֶם Præterea ſi hoc modo vertatur, debuiſſet copula ו poni ante למען, hoc modo: וּלְמַעַן יְרָאתֶם Non licet mihi, præſertim in conſtructione Grammatica plane ſimplici, qualis hic eſt, a propria Præteriti notione recedere: atque adeo omnino mihi hæc verba ſic vertenda videntur: *propterea quod*, vel *quia timuiſtis.* Hoc modo nullam novam aut inſolitam notionem voculæ למען adfingo, quæ mihi quamcunque cauſam aut rationem in genere denotat. Quod vero hic cauſam impulſivam ſignificet, quum alias magis cauſam finalem denotet, uti & hic in priori hemiſtichio, id non adeo nova aut inſolita eſt notio; verum maxime id ex natura temporis Præteriti oritur. Obſervandum hic, forte nullibi præter hunc locum למען aut למען אשר cum

Præterito conſtrui, verum ſemper cum Futuro aut Infinitivo. Videtur quidem primo intuitu Jerm. L. 34. למען conſtrui cum Præteritis הִרְגִּיעַ & הִרְגִּיז Verum conſueta Linguæ indoles, atque hujus loci contextus magis ſuadere videntur. hæc non eſſe Præterita, ſed potius formæ Infinitivæ, pro הַרְגִּיעַ & הַרְגִּיז quo modo, obſervantibus Grammaticis, ſæpius Infinitivus in Hiphil Præteriti punctationem ſequitur. Exempla profert Jac. Alting. in Gramm. Hebr. §. 112.

Secundum hanc noſtram verſionem natura temporis præteriti ſervatur, nec opus erit admittere ellipſin copulæ ו; atque ſenſus oritur commodiſſimus: ſcilicet priori hemiſtichio tradit Joſua cauſam finalem, quare Deus hæc tremenda ſua prodigia patraverat; *ut nimirum Gentes manum Dei fortem agnoſcerent.* Poſteriori vero hemiſtichio ejusdem rei cauſam impulſivam reddit; nempe, *quia*, vel *propterea quod Iſraëlitæ Deum ſuum timuerant.* Quod vero verba כל הימים vertam: *omnibus his diebus*, id omnino emphaſis harum vocum requirit: Sic & כל הימים de præterito tempore uſurpatur 1 Reg. V. 15. notante Cl. Schultens ad Job I. 5.

1 Sam. IX. 6. 1 SAM. IX. 6. Servus Sauli ipſi dicit: *abeamus in hanc urbem ad virum Dei* אולי יגיד לנו את דרכנו אשר הלכנו עליה *forte indicabit nobis viam noſtram, qua ambulavimus.* Varie hic Præteritum הלכנו vertitur. Belgæ futuro reddunt: *onſen weg, op welken wy gaan ſullen.* Ita fere Genevenſes: *le chemin, que nous devont ſuivre.* quod etiam futurum tempus

pus maxime reſpicit; atque in hoc caſu Hebræos ſuo Futuro uti, infra ſuo loco indicabimus. Nec ullum mihi hactenus exemplum obvenit, ubi hoc modo Hebræi ſuum Præteritum uſurpant, pro eo nimirum *quod fieri debeat.* LXX. hic Præteritum tempus obſervaſſe videntur, quando Aoriſto I, quod ſæpe Præteriti loco venit, vertunt: τὴν ὁδὸν ἡμῶν, ἐφ᾽ ἣν ἐπορεύθημεν ἐπ᾽ αὐτήν. Junius & Tremellius hic etiam Præteriti tenaces fuerunt, quando vertunt: *viam noſtram, ad id cujus cauſa profecti ſumus.* Videntur 1ὸ אשר accepiſſe pro על אשר vel למען אשר Singulari religione fere præter morem hic Præteritum obſervaſſe videtur Abarbanel, quando in ſuo פרוש ad h. l. ita commentatur אחשוב, שהיה כוונה הנער שילכו שם לנסותו והנסיון יהיה אם יגיד; כל הדרך אשר הלכו ועברו בו וגו״ *putem hanc fuiſſe intentionem ſervi, quod illuc abirent ad eum tentandum: & hæc foret probatio, ſi indicaret omnem viam, qua iverant & pertranſierant* &c. Et paullo poſt hæc addit וכאשר יגיד העבר באמתתו יתאמן שכל אשר ידבר בעתיד חיו יהיה *Et ſicuti in veritate indicare poterit præteritum, vere patebit, quod omne id, quod de futuro dicturus ſit, certo fiet.* In qua interpretatione atque Præteriti vindicatione hactenus acquieſco. Certe ſæpiſſime Prophetæ inſtinctu Spiritus Dei, non tantum rem, de qua conſulebantur, indicarunt; verum ſimul etiam has illasve rei circumſtantias, ut eo magis de veritate ſuorum oraculorum populo conſtaret. Nec prorſus incredibile eſt, ſi quis interdum hoc modo Virum Dei tentaret, præſertim de petulanti atque au-

daci ſervo. Hoc fere modo tentabat Rex Nebucadnezar ſuos Magos, quum peteret, ut non tantum interpretationem, ſed & ipſum ſomnium indicarent, ſive ex vero dicens, ſive callide fingens, ſomnii ſui ſe oblitum eſſe, Dan. II. 5. & ſeqq.

2 Reg. XX 9. 2 Reg. XX. 9. Inſignem plane hoc loco Præteriti loco Futuri Enallagen ſtatuunt Interpretes: Hiskias Rex rogaverat Jeſaïam, quale ſignum foret, quod Deus ipſum ſanaret, jam ſequitur ויאמר ישעיהו זה לך האות מאת יהוה כי יעשה יהוה את הדבר אשר דבר הלך הצל עשר מעלות אם ישוב עשר מעלות: Hæc verba hoc fere modo vertenda eſſe, nemo, ut ſpero, ambigat: *tunc dicebat Jeſaïas: hoc tibi ſignum eſt a Jehovah, quod Jehovah facturus ſit rem, quam loquutus eſt: proceſſit umbra decem gradibus; an vero retrocedet decem gradibus?* At vero omnes, quos videre mihi licuit, Interpretes & Commentatores Præteritum הלך in Futuro, & quidem interrogative vertunt, hoc modo: *an progredietur umbra per decem gradus, an vero retrocedet per decem gradus?* Adeo ut hic Jeſaïas ex communi Interpretum ſententia optionem dederit Hiskiæ alterutrius horum duorum ſignorum. Rationem plane non video, quæ Interpretes ad duram hanc ac prorſus inſolitam Enallagen ſtatuendam adegerit: potius ingenue fatebor, me ſenſum loci non ſatis habere perſpectum, quam hic aut alibi ad tam inane Anomalias aſylum confugiam. Enimvero nimia licentia utimur, ſi ſine ulla fere ratione, quaſi pro mero lubitu, idque in

Digitized by Google

in ſimpliciſſima conſtructione Grammatica Præteritum Futuro reddam; & ubi poſitive quid dicitur, neque ullum proſtat interrogandi ſignum, tamen id interrogativo modo capiam. Hoc ſi liceat, pari jure mihi licebit quævis Præterita Futuro, aut quævis Futura Præterito vertere, & de omni Temporum in Hebræa Lingua diſtinctione plane actum erit. Liceat mihi potius hic communem opinionem deſerere, atque ſalva propria vi Præteriti הלך hoc modo rem concipere; Jeſaïam Dei nomine vere duplex ſignum Hiskiæ dediſſe: prius jam dederat, vel dabat Jehovah, quando Jeſaïas ad ipſum accederet; quod diſertis verbis, nulli, quantum video, exceptioni obnoxiis teſtatur Jeſaïas, quum dicit: *hoc tibi ſignum eſt a Jehovah; proceſſit* (הלך) *umbra per decem gradus.* Idque conſtitiſſe cenſeo in momentaneo ac miraculoſo progreſſu umbræ per decem gradus. Hoc vero in mandatis habebat Jeſaïas, ut ſi hoc ſignum Hiskiæ non ſatis ſufficiens videretur, alterum proponeret, quod ſi peteret Hiskias, Deus ipſi daturus erat: Hoc Jeſaïas his verbis indicat: אם ישוב עשר מעלות. Atque alterum hoc ſignum, quod conſtaret in miraculoſo & momentaneo regreſſu umbræ per eosdem decem gradus, Hiskias priori majus ac prodigioſius judicans petiit, accepitque. Hoc modo ſimplicem conſtructionem Verborum, propriamque Præteriti vim facili via ſequor, a qua vel levi vel nulla de cauſa ſecedere religio mihi eſt. Præterea totus hujus hiſtoriæ contextus

hoc mihi ſuadet: ſi debita attentione & ſine præjudicio hoc totum comma 9 inſpiciatur, nullum alium commodum ſenſum fundere poterit. Si conferatur V. 11. hujus Capitis, hic diſertis verbis dicitur, *Jehovam retrogredi feciſſe umbram* במעלות אשר ירדה *per eosdem gradus, per quos deſcenderat.* Hæc verba mihi omnino innuere videntur, præceſſiſſe ſubitaneum ac miraculoſum quendam deſcenſum umbræ Solis. Cæteroquin nullo commodo ſenſu dici poterat: *iis gradibus*, ſive *per eosdem gradus*, *per quos deſcenderat*: nam ſi hæc verba de naturali & lento umbræ progreſſu accipiantur, plane erunt ſuperflua; etiamſi ex communi ſententia dicatur, hoc temporis momento, quando hoc prodigium accidit, Solem jam ab ejus ortu decem gradus abſolviſſe: quod omnino gratis aſſumendum erit. Jeſ. XXXVIII. 8. Ubi breviter tantum, ſaltem diſertis verbis, poſterius prodigium memoratur, quod petierat Hiskias, & in quo demum acquieverat; tamen ſatis ſuperque indicatur, præceſſiſſe aliud quoddam Signum, nempe momentanei progreſſus umbræ Solis, quando bis eodem commate dicitur המעלות אשר ירדה quæ verba ſi rite attendantur, facile cuipiam ſupervacanea videbuntur; niſi dicatur, hiſce ſignificari ſignum aliquod præceſſum, miraculoſi ſcilicet umbræ Solis progreſſus. Præterea, ſi verba 2 Reg. XX. 9. הלך הצל וגו״ ex communi Interpretum Sententia ſumantur de miraculoſo & momentaneo progreſſu Solis, quare non eodem jure verba אשר ירדה quæ

occur-

occurrunt V. 11. & bis Jeſ XXXVIII. 8. de eodem miraculoſo Solis progreſſu accipienda erunt?

Nemo mihi objiciat, quod 2 Reg. XX. 10. Hiskias dicat לא כי ישוב הצל *non, ſed regrediatur umbra.* Quo videretur ex communi Sententia, quum Jeſaïas ei optionem dederat alterutrius horum duorum ſignorum, Hiskiam prius noluiſſe, alterum vero petiiſſe. Verum hæc ſimilesque loquutiones ellipticæ pro ratione rei varie ſupplendæ ſunt: qui vulgarem tenent ſententiam, eam hoc ſimilive modo ſupplebunt: *non peto prius ſignum, ſed retrogrediatur umbra.* Ego vero pari jure hanc ita fere ſupplendam cenſeo: *non ſufficit mihi prius ſignum*, vel *in eo non ſatis acquieſco; ſed retrogrediatur iterum umbra.* Hoc modo ſi rem concipiamus, non opus erit viginti, immo plures gradus Solario Achaſi adſcribere, adeoque unumquemque gradum tantum ſemihorii facere; uti hic paſſim Interpretes ut neceſſarium quid ſtatuunt, quia ex ſua hypotheſi ſaltem ſupra viginti gradus Solario Achaſi adpingere coguntur: quum tamen antiquitas iſtorum fere temporum non niſi partitionem diei in duodecim partes ſeu horas memoret; uti ex Herodoto notat Usſerius in Annal. ad A. M. 3291. Si vero ſtatuamus, umbram uno quaſi momento per decem gradus proceſſiſſe, & mox ob petitionem Hiskiæ eandem viam decem graduum, ſimili fere Divino miraculo uno momento retrogrediendo abſolviſſe, ſufficiet duodecim gradus ſeu horas Solario Achaſi tribuiſſe. Sique dicamus, vere hoc fuiſſe

extraordinarium & miraculoſum motum ſive Solis, ſive noſtræ Telluris, quod hic non inquiro, quamquam id mihi veroſimilius videatur, tamen ipſe ille dies ordinariæ manſerit longitudinis: ſiquidem ipſum illud ſpatium, quod uno momento proceſſit Sol, mox iterum retroceſſit. Neque hic adeo neceſſe erit, ut cum Cl. Uſſerio l. c. ſupponamus, hoc temporis ſpatium, quo hic dies longius protractus fuiſſet, ſequenti nocti fuiſſe detractum, ut hoc modo tres illæ Lunares Eclipſes a Ptolomæo memoratæ ex noſtra ſupputatione cum Chaldæorum annotatis conveniant. Adeoque variæ hujusmodi disquiſitiones, ſeu difficultates, quæ hic agitari ſolent, ſponte ſua dilabuntur.

Pſ. LXXX. 5. Ps LXXX 5. עד מתי עשנת בתפלת עמך Hic primo intuitu Præteritum עשנת facile cuipiam futuri eſſe temporis videretur, atque ſic paſſim ab Interpretibus Futuro vertitur. At vero ſi hæc mens ſit hujus loci, ut futurum tempus maxime reſpiciatur, quid ni, uti alias fere ſemper poſt עד מתי hic Futurum tempus ponitur? Eo ipſo vero, quia hic Præteritum venit, putem hic etiam vere Præteriti quid ſignificari; neque adeo crediderim, Eccleſiam hic anxie quærere, quousque Deus in futurum *fumaturus ſit contra preces populi ſui:* at maxime mihi videntur hæc verba quærelam eſſe Eccleſiæ, *quod Deus jam per tam longum temporis ſpatium fumaverit contra preces populi ſui.* Atque adeo ſalva Præteriti temporis natura hæc verba ſic reddo: *usque ad quod tempus*, h. e. *per quodnam longum temporis ſpatium fumaſti contra preces populi tui?*

Qua

Digitized by Google

Qua verſione, ut mihi ſaltem videtur, non prorſus incommoda ſignificatio particulis temporis עד מתי tribuitur; præſertim ſi cum Præterito conſtruantur, atque ad rem præteritam maxime reſpiciatur. Nam Præteritum Hebræorum æque habere ac conſtanter ſervare Præteriti ſignificationem pro Linguæ idiotiſmo, ac Præteritum Latinorum, vel alius cujusdam Linguæ non temere dixerim. Eodem modo & V. 6. ante Præteritum האכלתם repetendum atque ſupplendum mihi videtur עד מתי hoc ſenſu: *per quodnam longum temporis ſpatium cibaſti eos pane lacrymarum?* Quales ellipſes ex præcedenti commate vel hemiſtichio ſupplendæ frequentiſſimæ ſunt. Eadem hæc Præteriti conſtructio cum particulis עד מתי venit Ex. X. 3. Ubi Moſes Dei nomine Pharaoni hæc dicit: עד מתי מאנת לענת מפני Interpretes fere omnes hic Præteritum מאנת vel Præſenti, vel Futuro reddunt. Ego vero hic potius vim Præteriti temporis, eodem modo uti in præcedenti loco obſervarem; atque hæc verba ſic redderem: *quousque*, ſeu *per quodnam longum tempus renuiſti humiliari propter faciem meam?* Adeo ut hæc Moſis verba ſint acris objurgatio, ſeu obteſtatio, quod jam tam diu, non obſtantibus tot prodigiis ac plagis, tamen renuerit humiliari coram Deo. Ex. X. 3.

Simili fere modo Præteritum venit cum עד אנה Ex. XVI. 28. עד אנה מאנתם לשמר מצותי ותורתי Interpretes hic ſimiliter Præteritum vel Præſenti vel Futuro vertunt: at nihil impedit, quo minus & hic Præteriti Ex. XVI. 28.

analogiam ſervem, atque hoc modo vertam: *quousque* h. e. *ad quodnam longum temporis ſpatium renuiſtis ſervare præcepta mea & leges meas.*

Si vero quis malit, in hiſce locis vere futurum tempus reſpici, quod tamen mihi nondum ſatis liquet, nihilominus hic Præteriti vis ſarta tectaque manebit, ſi hæc Præterita Futuro Subjunctivo vertantur, hoc modo: *quousque fumaveris*, *quousque renueris*, *vel renueritis?* Atque tunc poſt עד מתי vel עד אנה ſupplendum erit Futurum יהיה vel ſimile quid; hoc modo: עד אנה יהיה כי מאנתם *quousque erit, quod renueritis?* Atque tunc hic obſervandum erit Præteritum in re futura: quo modo ſæpe Hebræi ſuo Præterito utuntur, idque modo plane analogo; atque ubi ſimilis fere elliptica loquendi forma obſervanda, uti mox §. VII, VIII. videbimus.

Idem fere quod hic dico, obſervari poterit ad Habac. I. 2. Pſ. LXXIV. 1.

§. III.

Frequentem Præteriti loco Præſentis Enallagen ſtatuit Glaſſius: quod refellitur.

Sal. Glaſſius Gramm. Sacr. Lib. III. Tract. 3. Can. 46. frequentiſſimam *Præteriti* Hebræi Enallagen ſtatuit pro *Præſenti.* Non equidem negaverim, interdum Hebræorum Præteritum, pro diverſa Linguarum indole, in Latina aliave Lingua commode Præſenti tempore verti poſſe: at nondum obſervavi, neque facile ipſi conceſſerim, Præteritum Hebræum hoc in caſu venire loco Præſentis, ubi ſolum Præſens tempus, excluſo Præterito, obſervatur. Ubi Diſſ. I. §. XI. Num.

3, 4.

3, 4. quædam de Temporum natura in genere obſervavimus, vidimus, ſæpe actionem vel paſſionem quandam continuam indicari; h. e. tale Præteritum, quod præſens tempus non ſecludat, ſed quod præſenti tempore adhuc perſeverat; vel etiam tale Præſens, quod Præteritum non ſecludat: atque hac in parte cujusque Linguæ indoles obſervanda erit, dum easdem plane res pro diverſo Linguæ genio vel Præterito, vel Præſenti tempore exprimere licebit. Præterea obſervavimus loc. cit. maxime tale quid conſpiciendum ſiſti in Hebræorum Verbis, quæ *qualitatem*, *conditionem* aut *ſtatum* denotant, ubi Hebræi ſuo tempore præterito tale Præteritum ſignificant, quod Præſens ſimul involvit. Utinam hæc obſervaſſent Enallagarum Patroni, non adeo faciles fuiſſent in iis vel fingendis vel admittendis; neque hic Glaſſius tam inſignem exemplorum numerum prætendiſſet: Si enim, uti quisque facile mihi dabit, ſæpe Præſens Præteritum, uti & Præteritum Præſens tempus ſimul includat, hic jure merito talia hujus Enallages exempla requiro, ubi hoc non fiat, atque ubi Præſens ſaltem quodammodo excludat Præteritum. Si exempla, quæ Glasſius ex magno numero pauca profert, reliquis, uti fieri ſolet, ſint clariora, & ad convincendum magis idonea, ſcio, quid de reliquis judicem. En loca Glaſſii.

Gen. IV. 1. ubi Eva poſt natum Kaïnum dicit: קניתי איש את יהוה Quod Glaſſius vertit in præſenti, *poſſideo virum Jehovam*. Sit ita; an non Præſens *poſſideo* ſimul Præteritum tempus includit, utpote continuum Gen. IV. 1.

quid

quid ſignificans? quum Præteritum *poſſedi* Præſens excludat. At quidni potius vertitur, *acquiſivi virum Jehovam.* Quod Eva vere præterito tempore tunc dicere potuit non tantum ratione conceptionis, ſed & ratione ipſius partus. Verbi vero קנה primaria & uſitatiſſima ſignificatio eſt *acquirere*; ſecundaria vero *acquiſitum poſſidere*.

Gen. IV. 9. GEN. IV. 9. לא ידעתי cui ſimile exemplum profert ex 2 Sam. I. 5. quibus plura alia loca addi poſſent. Sit ita, ut vertatur in Præſenti, *neſcio*, ex indole Latinæ Linguæ: tamen natura temporis, quæ latet in Præterito ידעתי vere præteritum quid includit. Hinc & Latini Præterita *novi* & *noſſe* quaſi Præſentis ſignificatione uſurpant, quia hic maxime præteritum tempus ſimul cum præſenti ſignificatur. Sic aliquid dandum genio alicujus Linguæ, præſertim ſi res ipſa id non tantum permittat, ſed vel maxime requirere videatur.

Exod. XXXIII. 19. Ex XXXIII. 19. וחנתי & *gratioſus ero.* Ita hic locus omnino in Futuro vertendum, non in Præſenti, ut vult Glaſſius. Eſt hic Præteritum cum ו vulgo dicto *converſivo*; aut potius *relativo*, vel *ſubjunctivo*. De quo infra ſuo loco dicendum erit.

2 Reg. III. 11. 2 REG. III. 11. *Hic eſt Eliza filius Saphati* אשר יצק מים על ידי אליהו *qui infudit aquam manibus Eliæ.* Glaſſius contendit, Præteritum יצק *in præſenti tempore eſſe explicandum, quia tunc temporis Elias adhuc vivebat, ut ex* 2 Par. XXI. 12. *adparet.* Verum id mihi non ſatis liquet ex citato loco: potius mihi videtur ex nexu hiſtoriæ 2 Reg. I. & II. Eliam in cæ-

lum

hum tranſlatum fuiſſe paullo poſt mortem Achaſiæ Regis Iſraëlis; neque poſt illud tempus ullam reperio Eliæ mentionem, at frequentem Elizæ. Quod vero attinet ad Epiſtolam ab Elia conſcriptam, & Joramo Regi Judæ miſſam, ſecundum 2 Chron.. XXI. 12. id non plane evincit, Eliam tunc temporis adhuc in terris vitam degiſſe: nec enim dicitur, Eliam tunc ſcripſiſſe epiſtolam, neque ipſum Eliam eam ad Joramum miſiſſe; ſed tantum veniſſe epiſtolam quandam ab Elia conſcriptam ad Joramum. Veroſimillimum mihi videtur cum Simſonio in ſuo Chronico ad A. M. 3101 & 3110. & cum Witſio T. I. Miſc. Lib. I. Cap. 18. §. 46. ſeqq. Eliam inſtinctu Spiritus Dei prævidiſſe impietatem Jorami, atque hanc epiſtolam eam in rem a ſe conſcriptam in terris reliquiſſe in manu Elizæ, vel cujusdam alius ex diſcipulis, ut ſuo tempore eam Joramo adferri curarent. Quod mihi etiam ex eo probabilius redditur, quod non adeo mos fuerit Prophetis, quum adhuc in terris degebant, ut litteris miſſis placita Dei hominibus annuntiarent. * Verum licet conceſſerim, Eliam tunc temporis adhuc in terris fuiſſe, tamen hic locus nullam Præteriti Enallagen probabit. Sit ita, ut Eliza eopſe tempore adhuc Eliæ ſerviret, utque adeo τὸ יצק maxime præſens quid ſignificet, hic tamen præteritum nequaquam excludi poterit: hoc modo יצק ſignificabit tempus

* Conferri de hac re etiam poterunt Beckius in Notis ad Paraphr. Chald. ad 2 Paral. XXI. 12. & Mejerus in Notis ad Seder Olam pag. 918, 919.

Digitized by Google

pus quoddam continuum, vel ſpecies quædam erit aoriſti temporis, ſignificantis id quod continuo fit vel factum fuerit. Hac ratione vero Hebræi ſuo Præterito utuntur; præſertim ſi in tali Aoriſto maxime ſpectandum ſiſtitur Præteritum Tempus, adeoque ſatis analogice. Ex. gr. Eſth. VI. 8. *adducant veſtimentum regium*, אשר לבש בו המלך וסוס אשר רכב עליו המלך *quo veſtivit ſe rex, & equum, cui rex inequitavit*. Quibus Præteritis id ſignificatur, quod fieri continuo ſolebat, maxime ratione præteriti temporis; quod & optime a Belgis obſervatum fuit. Si jam quis cum Glaſſio & aliis velit, Eliam tunc adhuc in terris fuiſſe, eodem modo hic יצק ἀοριστῶς ſumi poterit, atque vere etiam Præteritum quid eo indicabitur.

Reliqua Glaſſii loca non minus præteritum quid in ſe continent, uti ex attenta locorum conſideratione facile quivis videat.

§ IV.

Loca eundem in finem a Cl Coccejo prolata vindicantur.

Cl. Coccejus in Obſerv. ad Gramm. Buxtorfii Opp. Tom. IX. Cap. XII. etiam Præteritum loco Præſentis uſurpari obſervat, eumque in finem hæc profert loca Gen. XX. 16. XXIII. 11, 13. & Deut. XXXII. 40.

Quod ad poſtremum hunc locum attinet Deut. XXXII. 40. Videtur mihi reſpexiſſe ad V. 39. cujus hæc ſunt verba מחצתי ואני ארפא. ubi Præteritum מחצתי paſſim Præſenti, vel Futuro Tempore vertitur. Verum hoc Præteritum commodius ſubjunctive

Deut. XXXII. 39.

tive

Digitized by Google

tive & conditionaliter mihi accipiendum videtur, ſubintellecto כי vel אם atque hoc modo vertendum: *ubi* vel *quando percuſſerim, ego etiam ſanabo.* Ita ſæpe Hebræorum Præteritum venire loco Præteriti vel Futuri Subjunctivi, idque maxime in ſermone conditionali, atque ubi per ellipſin deeſt כי vel אם mox videbitur §. VII, VIII.

Alter locus eſt Gen. XX. 16. ubi Abimelech Zaræ hæc dicit: הנה נתתי אלף כסף לאחיך *Ecce dedi fratri tuo mille argenteos.* Nihil vetat, verum ſatis nobis permittunt hujus loci circumſtantiæ Præteritum נתתי Præterito Tempore vertere. Veroſimillimum eſt, Abimelechum jam paullo ante etiam hoſce mille argenteos, ſimul cum aliis rebus V. 16. memoratis Abrahamo dediſſe; licet id hoc loco non expreſſis verbis narretur. Interpretes hic etiam paſſim נתתי Præterito vertunt. Gen. XX. 16.

At majorem ſpeciem habere videtur Gen. XXIII. 11, 13. ubi V. 11. Ephron Chittæus Abrahamo dicit: *non domine mi, audi me* השדה נתתי לך והמערה אשר בו לך נתתיה וגו׳ *agrum dedi tibi, & ſpeluncam, quæ in eo eſt, dedi tibi eam* &c. quum tamen hic de re præſenti agi videatur. V. 13. Abraham dicit: *quæſo audi me,* נתתי כסף השדה קח ממני *dedi pretium agri, accipe a me.* Hic loci circumſtantiæ fere ſuadent, ut נתתי potius Præſenti vel Futuro ſit vertendum. Junius & Tremellius V. 11. נתתי vertunt Præterito Subjunctivi, *dederim*: verum ſibi non ſatis con- Gen. XXIII. 11, 13.

conſtant; nam V. 13. in eadem fere temporis circumſtantia vertunt in Præſenti *do*.

Gen. XVII. 16. Simile quoddam exemplum occurrit Gen. XVII. 16. ubi Deus ante nativitatem Iſaäci Abrahamo Præterito Tempore dicit: וגם נתתי ממנה לך בן *atque etiam dedi tibi ex ea filium*. Ven. de Bruin Diſſ. laud. pag. 81. & ſeqq. hunc locum illuſtrare & vindicare conatur: notat Cl. Coccejum Præteritum נתתי in Præſenti vertere, atque addit; ſe neſcire quam hic regulam ſequutus ſit; atqui ex hac Cocceji obſervatione liquet, eum hic ſuam ipſius regulam ſequi. Hoc vero modo Ven. de Bruin Præteriti analogiam hic vindicare ſtudet, quod Zarah jam tunc fuerit gravida, quodque adeo Deus hoc ſenſu præterito tempore dicere potuerit: *atque etiam dedi tibi filium*. Verum paullo duriusculum tunc mihi videtur, quod addatur ממנה *dedi tibi* EX EA *filium*. Præterea vehementer dubito, an Zarah jam eo temporis fuerit gravida; immo id mihi plane non videtur, ſi conferam ſequentem V. 21. ubi eodem illo tempore Deus de Iſaäco dicit: *quem tibi pariet Zarah hoc eodem tempore in altero*, vel *ſequenti anno*. Adeoque hoc modo nodum nondum ſolutum video. Quinimmo plura mihi inter legendum occurrerunt loca, ubi Præteritum נתן loco Præſentis, quin & loco Futuri venire, facile quis diceret, uti Gen. XV. 18. ubi Deus Abrahamo dicit: *Semini tuo* נתתי *dedi hanc terram*. Ubi Præteritum non tantum pro Præſenti, ſed & pro Futuro venire videtur. Inſpici præterea eum

Digitized by Google

eum in finem merentur Gen. L. 29. IX. 3. XLVIII. 22. Num. XX. 12. XXI. 34. Joſ. VI. 2. VIII. 1. X. 8.

Hæc loca quum ſerio meditabar, atque inter ſe conferebam, ſingulare quid in verbo נתן obſervaſſe mihi viſus ſum; quum ſæpe ejus Præteritum veniat non tantum pro Præſenti, ſed & ſæpe quaſi pro Futuro; quod non adeo in aliis quibusvis Verbis obſervatur: atque inde ſuſpicio mihi ſuboriebatur, Verbum נתן ex ſingulari Hebrææ Linguæ indole ſæpe dici de tali datione, *quæ fit animi decreto aut mentis determinatione.* Poſſumus enimvero duplici modo *aliquid dare*; vel *tantum animi propoſito aut decreto*, atque hoc modo, ſi rem ſpectes, *Tò dare* idem erit quod *alicui aliquid decernere*, vel *aliquid daturum ſecum conſtituere*; quatenus vero tale animi decretum verbis ſignificatur, tunc quod ad rem idem erit, quod *promittere*, *addicere.* Vel etiam *Tò dare* fit, *quando reapſe aliquid datur*, *vel traditur in alicujus poteſtatem aut poſſeſſionem.* Vel ſaltem hic dicendum, in *Tῷ dare* ſimul includi *antecedens quoddam animi decretum aut determinationem.* Neque hujusmodi diſtinctio gratis a me ficta cenſeri debet; quum citata loca eam non tantum probent, ſed & fere neceſſariam reddant, niſi in hiſce locis aliisque inſignem ſtatuamus Præteriti loco Præſentis, quin & loco Futuri Enallagen, quodque in ſolo fere Verbo נתן obſervandum foret: quod nemo facile dixerit.

Ex hac hypotheſi omnia hæc loca facili opera ad Analogiam reduci poterunt. Sic

 quando

Digitized by Google

quando dicitur Gen. XXIII. 11. השדה נתתי לך וגו׳ vertendum erit: *dedi tibi agrum*, ſcilicet *ex animi mei decreto*, vel *decrevi tibi agrum.* Eodem modo dictum Abrahami verti poterit V. 13. נתתי כסף השדה *decrevi vel dare mecum conſtitui pretium agri.* Hæc eo commodius ita vertuntur, ſi obſervetur, Abrahamum jam antea petiiſſe a Filiis Chethi, ut pro ipſo intercederent apud Ephronem, ut ipſi daret ſpeluncam juſta pecuniæ ſumma, uti eſt V. 8, 9. Quando Gen. XVII. 16. Deus Abrahamo dicit וגם נתתי ממנה לך בן ita verterem: *quin etiam decrevi tibi ex ea filium, ſeu daturum mecum conſtitui.* Sic & omnino mihi videtur Præteritum נתתי accipiendum Gen. XV. 18. ubi Deus Abrahamo dicit לזרעך נתתי את הארץ הזאת *ſemini tuo dedi hanc terram*, h. e. *decrevi, daturum me conſtitui.* Quæ verſio ipſis rei circumſtantiis ſatis ſuperque probatur: nam licet eo temporis ex Dei decreto ejusque declaratione terra Canaanæa data quidem fuerit Abrahamo ejusque ſemini, nondum tamen hæc terra revera data aut tradita erat in poſſeſſionem Abrahamo aut ejus ſemini: nam tunc temporis Abraham πίστει παρῴκησεν εἰς τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας ὡς ἀλλοτρίαν *per fidem ut inquilinus habitavit in terra promiſſionis tanquam in terra aliena*; ut dicitur Hebr. XI. 9. Adeoque tunc temporis *to dare* vere nihil aliud erat, quam *dare animi propoſito*, aut *decreto, ejusque declaratione.* Hoc fere modo etiam alia hic citata loca analogice explicari poterunt: atque hoc diſcrimine obſervato, facile con-

Gen. XV. 18.

Digitized by Google

conciliari & ad analogiam reduci poterunt talia loca, ubi antequam Deus Iſraelitas in poſſeſſionem terræ Canaanææ intromiſerat, interdum præterito tempore dicitur: *dedi vobis hanc terram*, interdum in futuro *dabo*. Prioris caſus præter citatum locum exempla vid. Gen. XXXV. 12. Num. XX. 12. Poſterioris vero caſus exempla occurrunt Gen. XII. 7. XIII. 15. & alibi. Atque adeo hoc poſteriori caſu נתן dicetur pro *reipſa dare*, ſeu *in poſſeſſionem tradere.*

§. V.

Præteritum Hebræorum ſæpe venit loco noſtri Imperfecti; idque ſine ulla Enallages ſpecie.

Ubi ſupra de Temporibus in genere quædam obſervabamus, vidimus Hebræos unico tantum Præterito gaudere; proinde neceſſe fere habent, quicquid vere Præteritum eſt, unico ſuo Præterito indicare. Cl. Coccejus in Obſerv. ad Buxtorfii Gramm. Oper. T. IX. Cap. XII. optime hic obſervat: *Præteritum unum pro omni Præterito ponitur.* Aliæ vero Linguæ tria ſaltem Præteritorum genera agnoſcunt; nimirum Imperfectum, Perfectum, & Plusquamperfectum. Cujus generis tempus ſit Præteritum Imperfectum vidimus Super. Diſſ. §. VI. nimirum vere eſſe tempus præteritum, ſi abſolute ſpectetur; at in eo a Præterito Perfecto differre, quod Perfectum res in genere ut præteritas ſiſtat, quum Imperfectum maxime res ad aliquod præcedentis Temporis Præteriti momentum referat, eique quaſi alliget: adeoque Imperfectum rem nobis ſiſtit ut præteritam quidem, at ſimul ut præſentem ratione

Digitized by Google

præcedentis cujusdam Temporis Præteriti. Hoc loco vero ſæpe Hebræi ſuum Præteritum ponunt, idque modo ſatis analogo; quandoquidem Hebræi diſtinctionem inter Imperfectum & Perfectum Præteritum proprie ignorant, qua & facile carere poſſunt. Atque ſic Hebræorum Præteritum ex noſtro idiomate Imperfecto vertendum erit, quando Præteritum ita venit, ut ad præcedens quoddam Tempus Præteritum ſpeciali modo referatur: quæ relatio vario modo indicatur.

I. Quando præcedens Tempus Præteritum, ad quod iſtud Præteritum Hebræum ſuam habet relationem, tantum aliqua temporis particula, ſeu quacunque alia temporis nota expreſſum eſt, tunc Hebræi nude & ſine copula ſuo Præterito utuntur, atque
Gen. I. 1. Imperfecto vertendum erit. Ex. gr. Gen. I. 1.
בראשית ברא אלהים וגו *in initio creabat Deus Cælum & Terram.* Notatio temporis, ad quam *lò* ברא refertur, ſignificatur voce בראשית certum tempus præteritum deſignante. Quum vero ברא Imperfecto vertimus, nimirum *creabat*, tale ſignificamus tempus, quod abſolute ſpectatum vere præteritum eſt, at quod ſimul alligatur præcedenti Tempori Præterito, quod hic latet in in voce בראשית / ejusque ratione quaſi ut præſens venit. Plura exempla dabunt hæc loca 1 Reg. VIII. 66. 2 Reg. XV. 29, 37. XVI. 6. XX. 1.

Eodem modo Particula temporis אז ſæpe cum Præterito conſtruitur, ubi de re præterita ſermo eſt, atque Imperfecto Præterito verten-

Digitized by Google

tendum : quoniam ſcilicet ope hujus Particulæ res præterita quaſi ut præſens ſiſtitur ratione alicujus temporis præcedentis præteriti: Ex. gr. Joſ. X. 33. אז עלה הרם מלך Joſ. X. 33.
גזר לעזר את לכיש *tunc adſcendebat Horam rex Gezeris ad auxiliandum Lachiſo*: h. e. *eodem illo tempore, quo Joſua Lachiſum oppugnabat.* Ut eſt in proxime præcedentibus. Plura hujus conſtructionis particulæ אז cum Præterito exempla Vid. Gen. IV. 26. 2 Chron. VI. 1. VIII. 12, 17.

Quomodo vero Particula אז ubi de re præterita ſermo eſt, cum Futuro conſtruatur, neque tamen in eo vera Temporis Enallage obſervanda ſit, videbimus Diſſ. ſeq. ubi de Futuro dicendum erit.

Sic & poſt aliam quamcunque temporis præteriti deſignationem Præteritum Hebræorum noſtro Imperfecto vertendum erit; quod præſertim obſervare licet Gen. VII. 11, 13. XIV. 1, 2, 5. 2 Reg. XXII. 3. XXIV. 10. XXV. 1, 25, 27.

II. At quando præcedens tempus Præteritum, ad quod Præteritum hoc refertur, & cujus reſpectu ut Præſens quaſi venit, ope Verbi alicujus, ſeu integræ periodi exprimitur, hoc in caſu Hebræi ſuum Præteritum iſti præcedenti tempori adjungunt mediante copula ו/ & commode a nobis Imperfecto vertitur. Ex. gr. Jud. II. 18. וכי הקים יהוה Jud. II. 18.
להם שפטים והיה יהוה עם השופט
והושיעם מיד איביהם כל ימי השופט
& quando Jehovah ipſis excitabat Judices, etiam erat Jehovah cum Judice, & liberabat

eos e manu ſuorum hoſtium omnibus diebus judicis Ubi והיה & והושיעם ope copulæ ו præcedenti temporis notæ, quæ latet in vocibus וכי הקים יהוה להם שפטים ut relative præſentia alligantur; adeoque noſtro Imperfecto vertenda ſunt. Conferri hic præterea merentur Gen. XXXI. 7. XXXIV. 5. 2 Reg. XXIV. 14.

Qua in re vero hoc Imperfectum, quod Hebræi ſuo Præterito ſignificant, differat ab Imperfecto, quod ſuo Futuro cum ו vulgo Converſivo dicto exprimunt, videbimus infra ſuo loco.

§. VI.

Præteritum Hebræorum ſæpe uſurpatur loco Plusquamperfecti; idque ſatis analogice.

Uti Hebræi ſuo Præterito etiam Imperfectum Præteritum ſignificant, eodem plane modo neceſſe fere habent, quia unico tantum Præterito gaudent, etiam hoc ſuo Præterito Præteritum Plusquamperfectum exprimere. Cujus generis tempus ſit Præteritum Plusquamperfectum, vidimus Super. Diſſ. §. VIII. Nimirum tale, quod non tantum abſolute & in ſe ſpectatum, verum etiam ratione proxime præcedentis Temporis Præteriti jam Præteritum eſt: adeo ut Plusquamperfectum duplici quaſi modo rem ut præteritam ſiſtat: Immerito itaque Glasſius hunc Præteriti Hebræorum uſum pro Plusquamperfecto Enallagarum Catalogo inſcribit Lib. III. Gramm. Sacr. Tract. 3. Can. 46. Fateor quandam Enallages ſpeciem haberet, ſi Hebræi Speciali quadam flexione Grammatica Plusquamperfectum agnoſcerent.

Forte

Forte quis hinc eliciat inſignem Hebrææ Linguæ defectum, quod prorſus incertum relinquat, an res ratione proxime præcedentis Temporis Præteriti præſens ſit, num præterita, h. e. an Imperfecto, an vero Plusquamperfecto ſit vertenda. At vero huic incommodo facili opera mederi norunt Hebræi.

Interdum ita ſe res habet, ut ex argumento & nexu Sermonis per ſe ſit manifeſtum, ad quodnam præcedentium temporum ea res, quæ ratione proxime antecedentis jam præterita eſt, referenda ſit: atque hoc in caſu nulla medela opus eſt: tunc enim per ſe liquet, hoc Præteritum Hebræorum ex indole Latinæ aliarumve Linguarum Plusquamperfecto vertendum eſſe; quandoquidem in Hebræo Sermone ad aliquod ulterius præcedens tempus refertur, adeoque ratione immediate præcedentium ut jam Præteritum ſiſtitur. Hujus rei exemplum exſtat Ex. XII. Ex. XII. 35, 36.
35, 36. ubi V. 35. dicitur ובני ישראל עשו כדבר משה וישאלו וגו' *Et Filii Israëlis fecerant ſecundum mandatum Moſis, & petierant ab Ægyptiis vaſa argentea, & aurea & veſtimenta.* Sic & V. 36. ויהוה נתן את חן העם בעיני מצרים *Et Jehovah dederat gratiam populo in oculis Ægyptiorum.* Ex ſerie narrationis hiſtoricæ ſatis liquet, hæc verba ratione temporis immediate præcedentibus anteriora, adeoque eorum ratione jam præterita eſſe; atque referenda eſſe ad ea, quæ Moſes jam Cap. XI. 2, 3. narraverat: atque ea propter Plusquamperfecto vertenda erunt. Eodem

modo ut Plusquamperfecti temporis habenda, quæ occurrunt Jud. II. 6—10. liquet enim ex ſerie hiſtoriæ, hanc narrationem ratione temporis non referendam ad immediate præcedentia; ſed ad ea, quæ ante & paullo poſt mortem Joſuæ acciderant, quæ jam narrata erant Joſ. XXIV. 28—32. In citato Judicum loco maximam partem occurrunt Futura cum Vavvis dictis Converſivis; quæ etiam Hebræos uti Imperfecti, ita & Plusquamperfecti loco ponere, infra ſuo loco videndum erit.

Interdum vero accidit, ut res quædam ad remotius quoddam temporis momentum ſit referenda; ubi tamen ex ipſius narrationis circumſtantiis non facile liqueat, num ad ulterius quoddam præcedens tempus ſit referenda, nec ne; neque etiam ad quodnam iſtorum remotiorum temporum, ſi duo vel plura ſint, ſuam habeat relationem. Ubi ita res plane dubia foret, an Imperfecti, an vero Plusquamperfecti temporis ſit habenda, invenio Hebræos, ut hanc amphiboliam evitent, ſummaria quadam ex præcedentibus repetitione indicare, quo iſta res, quæ ratione ordinis temporis ὑστερολόγως narratur, ſit referenda. Hujus rei exemplum ex multis aliis exſtat 2 Chron. XXIV. 7. כי עתליהו המרשעת בניה פרצו את בית אלהים וגם כל קדשי בית יהוה עשו לבעלים *Nam Athaliah adhuc impie agente filii ejus perruperant domum Dei; atque etiam omnia Sacra domus Jehovæ aptaverant Baälis.* Ubi verbis עתליהו המרשעת indicatur, rem, quæ hic narratur,

non

non accidiſſe diebus Joſiæ, ſed Athaliah adhuc regnante; adeoque ex noſtro idiomate maxime eſſe Plusquamperfecti temporis. Neque ego, ubi neuter horum caſuum obtinet, h. e. ubi id neque ex ipſis ſermonis circumſtantiis ſatis liquet, neque ſummaria quadam ex præcedentibus repetitione indicatur, facile crediderim, Hebræorum Præteritum Plusquamperfecto tempore vertendum eſſe.

Cæterum ſæpe accidit, ut ſive ob priorem, ſive ob alteram rationem Hebræorum Præteritum veniat loco noſtri Plusquamperfecti. Exempli loco ſint Sequentia loca.

Jos. XIII. 33. ולשבט הלוי לא נתן משה Joſ. XIII. 33.
נחלה *Et tribui Levi non dederat Moſes portionem.* Ex ipſa hac hiſtoria facile liquet, hæc, & quæ ſequuntur hoc eodem commate כאשר דבר להם Plusquamperfecto tempore eſſe vertenda: nam hic narrantur poſt mortem Moſis, & ex præcedentibus repetuntur.

1 Sam. IX. 15. ויהוה גלה את אזן שמואל 1 Sam. IX. 15.
יום אחד לפני בוא שאול *Jehovah vero revelaverat in aurem Samuelis uno die, antequam adveniebat Saul.* Ex nota temporis, quæ ſignificatur vocibus יום אחד per ſe patet, Præteritum גלה Plusquamperfecto vertendum eſſe: nam eo ipſo indicatur, rem, quæ Verbo גלה ſignificatur, ratione immediate præcedentium, ſeu ratione temporis, quo Saul Samueli occurrebat, non fuiſſe præſentem, verum jam per totum diem præteritam fuiſſe.

Digitized by Google

2 Sam. 2 Sam. XVIII. 18. ואבשלום לקח ויצב
XVIII. 18. לו בחייו את מצבת אשר בעמק המלך כי
אמר אין לי בן בעבור הזכיר שמי *Et Abſalom acceperat & ſtatuerat ſibi in vita ſua ſtatuam, quæ eſt in valle regia; nam dixerat, non eſt mihi filius ad memorandum nomen meum.* Hæc Plusquamperfecto tempore vertenda ex eo patet, quia hæc narrantur poſt mortem Abſalomi, & quia expreſſis verbis additur, ipſum id feciſſe בחייו *in vita ſua.*

2 Reg. VII. 2 Reg. VII. 6. ואדני השמיע את מחנה
6. ארם קול רכב וקול סוס קול חיל גדול *Et Dominus audire fecerat exercitui Syrorum rumorem curruum, & rumorem equorum; rumorem magni exercitus.* Hic itidem Præteritum השמיע Plusquamperfecti loco venit: nam hoc narratur poſtquam leproſi Syros aufugiſſe jam comperiſſent.

2 Reg. XIII. 2 Reg. XIII. 22. וחזאל מלך ארם לחץ
22. את ישראל כל ימי יהואחז *Chazaël vero rex Syrorum oppreſſerat Iſraëlem omnibus diebus Jehoachaſi.* Hic locus itidem, quod a quibusdam Interpretibus non obſervatum fuit, Plusquamperfecto vertendus erit: hoc enim narratur poſt hiſtoriam, quæ Prophetæ Elizæ mortem ſequuta eſt. Eliza vero mortuus eſt Joaſo Joachaſi filio, rege Iſraëlis jam regnante, ſecundum vs. 14. Hic vero expreſſe additur, ad quod tempus referendum ſit Præteritum לחץ nimirum ad omnes dies Joachaſi. Simile quid obſervari poterit vs. 14—20.

Digitized by Google

2 Reg. XX. 12. Hic narratur Berodach Baladan filium Baladani Regem Babelis litteras & munus miſiſſe Hiskiæ: כי שמע כי חלה חזקיהו *quia audiverat, quod ægrotaverat Hiskias.* Ratio, ob quam hæc Præterita, vel ſaltem Præteritum חלה Plusquamperfecto vertenda ſint, hæc eſt: quod Rex Babelis, non ægrotante adhuc Hiskia, ſed poſtquam jam convaluerat, litteras & munus ſuum miſerit. Hoc patere poteſt ex collatione Jeſ. XXXIX. 1. ubi dicitur, Regem Babelis litteras & munus Hiskiæ miſiſſe; quum audiverat, ipſum ægrotaſſe & convaluiſſe. Uti etiam ex 2 Chron. XXXII. 31. ubi narratur, nuntios Regis Babelis veniſſe, ut inquirerent in illud ſignum ſolis, quod acciderat reconvaleſcente Hiskia: adeoque demum nuntios cum litteris mittere potuit Rex Babelis poſtquam jam audierat, Hiskiam ex ſuo lethali morbo revixiſſe.

2 Reg. XX. 12.

Plura alia exempla, ubi commode Hebræorum Præteritum noſtro Plusquamperfecto vertitur, videri poſſunt Jud. II. 15. 1 Sam. XIV. 27. 1 Reg. II. 28. 2 Reg. IX. 16. Coll. Cap. VIII. 29. 2 Reg. XVIII. 12. XXI. 3, 20, 21. 2 Chron. VI. 13. XXIII. 21.

§. VII.

Præteritum Hebræum ſæpe venit loco Præteriti vel Futuri ſubjunctivi, h. e. loco Præteriti in Futuro tempore.

Hebræos ſingulari terminatione aut flexione Grammatica Subjunctivum aut Optativum Modum non agnoſcere ſuper. Diſſ. obſervavimus: Sæpe tamen fit, ut ſubjunctive, vel conditionaliter vel optative loquantur; vel ut id, quod ſuo Indicativo Modo

2 Sam. XVIII. 18. 2 Sam. XVIII. 18. ואבשלום לקח ויצב לו בחייו את מצבת אשר בעמק המלך כי אמר אין לי בן בעבור הזכיר שמי *Et Abſalom acceperat & ſtatuerat ſibi in vita ſua ſtatuam, quæ eſt in valle regia; nam dixerat, non eſt mihi filius ad memorandum nomen meum.* Hæc Plusquamperfecto tempore vertenda ex eo patet, quia hæc narrantur poſt mortem Abſalomi, & quia expreſſis verbis additur, ipſum id feciſſe בחייו *in vita ſua.*

2 Reg. VII. 6. 2 Reg. VII. 6. ואדני השמיע את מחנה ארם קול רכב וקול סוס קול חיל גדול *Et Dominus audire fecerat exercitui Syrorum rumorem curruum, & rumorem equorum; rumorem magni exercitus.* Hic itidem Præteritum השמיע Plusquamperfecti loco venit: nam hoc narratur poſtquam leproſi Syros aufugiſſe jam comperiſſent.

2 Reg. XIII. 22. 2 Reg. XIII. 22. וחזאל מלך ארם לחץ את ישראל כל ימי יהואחז *Chazaël vero rex Syrorum oppreſſerat Iſraëlem omnibus diebus Jehoachaſi.* Hic locus itidem, quod a quibusdam Interpretibus non obſervatum fuit, Plusquamperfecto vertendus erit: hoc enim narratur poſt hiſtoriam, quæ Prophetæ Elizæ mortem ſequuta eſt. Eliza vero mortuus eſt Joaſo Joachaſi filio, rege Iſraëlis jam regnante, ſecundum vs. 14. Hic vero expreſſe additur, ad quod tempus referendum ſit Præteritum לחץ nimirum ad omnes dies Joachaſi. Simile quid obſervari poterit vs. 14—20.

2 Reg.

2 Reg. XX. 12. Hic narratur Berodach Baladan filium Baladani Regem Babelis litteras & munus miſiſſe Hiskiæ: כִּי שָׁמַע כִּי חָלָה חִזְקִיָּהוּ *quia audiverat, quod ægrotaverat Hiskias.* Ratio, ob quam hæc Præterita, vel ſaltem Præteritum חלה Plusquamperfecto vertenda ſint, hæc eſt: quod Rex Babelis, non ægrotante adhuc Hiskia, ſed poſtquam jam convaluerat, litteras & munus ſuum miſerit. Hoc patere poteſt ex collatione Jeſ. XXXIX. 1. ubi dicitur, Regem Babelis litteras & munus Hiskiæ miſiſſe; quum audiverat, ipſum ægrotaſſe & convaluiſſe. Uti etiam ex 2 Chron. XXXII. 31. ubi narratur, nuntios Regis Babelis veniſſe, ut inquirerent in illud ſignum ſolis, quod acciderat reconvaleſcente Hiskia: adeoque demum nuntios cum litteris mittere potuit Rex Babelis poſtquam jam audierat, Hiskiam ex ſuo lethali morbo revixiſſe. 2 Reg. XX. 12.

Plura alia exempla, ubi commode Hebræorum Præteritum noſtro Plusquamperfecto vertitur, videri poſſunt Jud. II. 15. 1 Sam. XIV. 27. 1 Reg. II. 28. 2 Reg. IX. 16. Coll. Cap. VIII. 29. 2 Reg. XVIII. 12. XXI. 3, 20, 21. 2 Chron. VI. 13. XXIII. 21.

§. VII.

Præteritum Hebræum ſæpe venit loco Præteriti vel Futuri ſubjunctivi, h. e. loco Præteriti in Futuro tempore.

Hebræos ſingulari terminatione aut flexione Grammatica Subjunctivum aut Optativum Modum non agnoſcere ſuper. Diſſ. obſervavimus: Sæpe tamen fit, ut ſubjunctive, vel conditionaliter vel optative loquantur; vel ut id, quod ſuo Indicativo Modo

Modo ſignificant, in aliis Linguis vel ſubjunctive vel Optative ſit vertendum. Si vero Hebræam inter aliasque Linguas concinna harmonia in ſuis Modis ac Temporibus ſignificandis adornanda erit, omnino inquirendum, quænam Hebrææ Linguæ indoles ſit in formandis Modis Subjunctivo vel Optativo. Hic tantum dicam de uſu Præteriti Hebræorum ſubjunctivo, quum ſeq. Diſſ. de uſu Futuri Hebræi vel Subjunctivo vel Optativo dicendi erit locus. Superiori Diſſ. §. IX. obſervavimus naturam & indolem Modi ſubjunctivi; ſimulque indicavimus hunc Modum, uti & Optativum maxime, quin fere ſemper Futurum tempus reſpicere: at vero Præterita in hiſce Modis ſimul etiam vere Præterita eſſe, uti etiam Futurum ſubjunctivi, quod Grammatici *Futurum Exactum* vocant, quod maxime, uti etiam Præteritum ſubjunctivi, ſignificat *Præteritum in Futuro tempore, ſeu in re Futura:* adeoque vel hinc patet, nequaquam id fore Temporis Anomaliam, ſi ita ſe res habeat, ut Præteritum Hebræum noſtro vel Præterito vel Futuro Subjunctivi ſit vertendum; quandoquidem utique inſervit ſignificando Præteritum quoddam, licet ſit in re Futura: cujus rei exempla paſſim exſtant in Sacro Codice.

Sæpe fit ut Hebræi aperte ſatis ſignificent Præteritum ſuum Subjunctive vel Conditionaliter accipiendum eſſe, additis his illisve particulis, quæ rem ratione periodi præcedentis vel ſubſequentis ut ſubjunctivam vel conditionalem ſiſtunt; quales ſunt

אם

עד / עד אם / עד אשר / עד / כי / אם / ſimilesve. Exempli loco ſint ſequentia loca.

Gen. XXVIII. 15. Deus hic Jacobo promittit לא אעזבך עד אשר אם עשיתי את אשר דברתי לך *Non deſeram te, donec fecerim id, quod loquutus ſum tibi.* Forte putet quis, עשיתי hic venire in ſignificatione Futuri, quia hic omnino de futuro tempore ſermo eſt; quod facile conceſſerim: at ſimul hic obſervandum, Præteritum עשיתי hic ſignificare Præteritum quid in re futura, adeoque etiam vere eſſe Præteritum. Deus enim hic promittit, ſe eo usque ſaltem ipſi ſingulari ſuo favore & gratia adfuturum; donec id, quod Deus hic promittit, quodque Præterito עשיתי exprimitur, jam factum, adeoque jam præteritum foret. Atque idem illud plane vis ac poteſtas eſt noſtri Præteriti vel Futuri ſubjunctivi. Gen. XXVIII. 15.

Deut. XV. 6. כי יהוה אלהיך ברכך כאשר דבר לך והעבטת גוים רבים Hic locus primo intuitu ſatis videtur difficilis, quia Præterito tempore dicitur, *Deus benedixit tibi*; quum tamen tunc temporis, quando Moſes hæc loquebatur, nondum usque adeo Deus Iſraëlitis benedixerat, ut multis gentibus mutuarent, & dominarentur in multas gentes, ut in ſequentibus dicitur. Hinc Belgæ Præteritum ברכך in Futuro vertunt; Junius & Tremellius id forte non auſi, in Præſenti, *benedicit tibi*: & duo ſequentia Præterita cum Vav vulgo dicto Converſivo ſine ulla ſatis ſolida ratione aut exemplo potentialiter vertunt, hoc modo: *mutuare poteris*, Deut. XV. 6.

teris, dominari poteris. Plane mihi videtur; hunc locum eodem modo ut præcedentem Præterito vel Futuro Subjunctivo vertendum, nimirum; *quando Jehovah Deus tuus tibi benedixerit, ſicut loquutus eſt tibi, tunc mutuabis multis gentibus.* Qua in re conſentientes fere habeo Genevenſes, qui vertunt: *parce que l'Eternel ton Dieu t'aura benit.* Cum hoc loco ut plane parallelus conferri mereretur Deut. XII. 7. ובתיכם אשר ברכך יהוה אלהיך *& domus veſtræ, quibus benedixerit tibi Jehovah Deus tuus.* Sic & vs. 15. ejusdem Cap. כברכת יהוה אלהיך אשר נתן לך בכל שעריך *ſecundum benedictionem Jehovæ Dei tui, quam dederit tibi in omnibus portis tuis.* Hic etiam Junius & Tremellius Præterito vel Futuro Subjunctivi vertunt: *quam largitus fuerit tibi.* Idem obſervandum Cap. XXVIII. 45. כי לא שמעת בקול יהוה אלהיך *Quia non auſcultaveris voci Jehovæ Dei tui:* uti & vs. 62. Quivis hæc loca attente inſpiciens facile viderit, hiſce Præteritis proprie Præteritum in Futuro tempore ſignificari.

Ruth II. 21. RUTH II. 21. Hic Ruth Naomi dicit גם כי אמר אלי עם הנערים אשר לי תדבקין עד אם כלו את כל הקציר אשר לי *Etiam, quia dixit mihi; cum pueris meis hæreto, donec abſolverint totam hanc meſſem, quæ mea eſt.* Ubi omnino eodem plane modo Præteritum כלו vertendum erit, ut in præcedentibus locis; nimirum Præterito vel Futuro ſubjunctivi.

1 Chron. XVII. 11. I. CHRON. XVII. 11. והיה כי מלאו ימיך ללכת עם אבתיך והקימותי את זרעך אחריך

Et

Et erit, quando impleti fuerint dies tui ad abeundum cum patribus tuis, tunc ſuſcitabo ſemen tuum poſt te. Hic itidem facile quis videat, Præteritum מלאו eſſe Præteritum quoddam in re futura.

Eodem hoc modo explicandum cenſeo locum 1 Sam. II. 16. Ubi puer Sacerdotum filiorum Eli hæc populo ſacrificaturo dixiſſe fertur: ואם לא לקחתי בחזקה Interpretes hic paſſim Præteritum לקחתי Futuro vertunt, hoc fere modo: *& ſi non*, ſcil. *dabis, vi accipiam.* Sic etiam Abarbanel ad h. l. Verum ſi hæc proprie mens ſit hujus dicti, non video, quomodo id commode & analogice Præterito tempore dici potuerit. Videtur mihi in his verbis ineſſe quandam apoſiopeſin, atque hic ellipticam jurisjurandi vel execrationis formulam obſervandam eſſe, quæ hoc fere modo ſupplenda erit כה יעשה לי יהוה vel ſimili quadam execrationis formula: quales ſæpe in jurisjurandi formulis, maxime poſt particulas אם vel אם לא in Sacris Litteris reticentur, aut per ellipſin deſunt. Hujus rei exempla vide Deut. I. 35. 1 Reg. I. 51. Pſ. XCV. 11. CXXXII. 3, 4. Job II. 5. Atque adeo hic Præteritum לקחתי verterem Præterito vel Futuro ſubjunctivi, hoc modo: *& ſi non acceperim vi*, ſupple, *ſic faciat mihi Deus!* Eodem plane modo etiam ſæpe, uti hic, poſt אם vel אם לא Præteritum venit, etiam ubi de re futura ſermo eſt, ut Gen. XLIII. 9. Jeſ. XIV. 24. Jer. XV. 11. Ezech. XXXVI. 5. Quæ loca ut huic noſtro loco plane parallela hic conferri merentur.

1Sam. II. 16.

Idem

Idem hic Præteriti Hebræi uſus pro Præterito in re futura, maxime poſt particulas כי / אם ſimileſque obſervari poterit in his locis Gen. XXIV. 19, 33. Num. XIV. 8. Ruth III. 18. 1 Sam. II. 5. Jeſ. IV. 4. VI. 11. Jer. XXXI. 11. Ezech. XXXIX. 15. Zach. IX. 13. Pſ. LVIII. 11. LXXXVI. 17. CII. 17, 18, 20. CXXXVIII. 4. Eccl. VII. 10.

Fatendum vero, Hebræos eodem plane caſu, uti mihi ſaltem videtur, interdum ſuo Futuro uti, ex. gr. Ruth. III. 18. שבי בתי עד אשר תדעין איך יפל דבר *maneto hic filia mea*, *donec ſcias*, vel *ſciveris*; *quomodo eventura ſit res.* Similia exempla, ubi Futurum Hebræum Præterito vel Futuro Subjunctivi commode vertitur, videri poſſunt Jeſ. LIII. 10. Ezech. XIV. 13. Prov. IV. 16. 1 Chron. XIX. 5. 2 Chron. VI. 24, 26. Verum ſit ita, ut Hebræi hic promiſcue vel Futurum vel Præteritum adhibeant, adeo ut in exemplo ex Libro Ruthæ prolato fere perinde ſit, ſive dicas עד אשר תדעין ſive עד אשר ידעת nihil tamen hoc modo conſtanti atque analogo uſui Temporum Hebræorum detrahetur; nam hic, uti jam obſervavimus, res æque ut futura, quam ut præterita ſpectari poteſt: nam hic loquimur de tempore, quod vere Futurum eſt, at ſimul in illo Futuro ut jam Præteritum obvenit; quid mirum, ſi Hebræi interdum magis Præteritum, interdum magis Futurum tempus reſpiciant? Nonne eodem fere ſenſu etiam Latine dicere licebit: *donec ſcias*, & *donec ſciveris*?

Ruth. III. 18

Inter-

Interdum vero eodem fere modo Præteritum Hebræum noſtro Plusquamperfecto Subjunctivi vertendum erit, exemplo ſit 2 Reg. XIII. 19. ubi Eliza Joaſo Regi Israëlis dicit: *quinquies aut ſexties percutiendo*, אז הכית את ארם עד כלה *tunc Syros ad internecionem percuſſiſſes.* Sic & Num. XX. 3. murmurans cœtus hæc Moſi dicebat, ולו גוענו בגוע אחינו לפני יהוה *utinam vero mortui fuiſſemus, quum moriebantur fratres noſtri coram facie Jehovæ.* Idem hic Præteriti uſus obſervari poterit Num. XIV. 2. XXII 33. Joſ. VII. 7. Jud. VIII. 19. Jeſ. I. 9. XLVIII. 18. Jerm. XXXVII. 10. Pſ. CXXIV. 2, 3, 4, 5. Nec quicquam anomalum hic jure obſervari poterit: quum Plusquamperfectum Subjunctivi vel Optativi vere Præteriti ſit temporis, uti ſuo loco vidimus. Quod vero hæc Præterita non ſimplici Præterito a nobis ſint vertenda, ſed Plusquamperfecto Subjunctivi vel Optativi, id nos ſatis docent argumentum & circumſtantiæ horum locorum, vel hæ illæve Particulæ, quæ Modum Subjunctivum vel Optativum deſignant.

Præteritum Hebræum vertendum Plusquamperfecto ſubjunctivi.

Eadem hac Plusquamperfecti Subjunctivi vel Optativi ſignificatione quidam Interpretes accipiunt Futura, quæ occurrunt Pſ. LXXXI. 14, 15, 16, 17. Verum id mihi ſatis durum videtur: melius vero me Linguæ Analogiæ conſulturum exiſtimo, ſi hæc Imperfecto Subjunctivi vel Optativi reddam. De hoc loco vero ſeq. Diſſ. aliquid monebimus, ubi agendum erit de Futuro.

§. VIII.

Præteritum interdum ſubjunctive venit, ubi id tamen nulla particula indicatur.

In his memoratis locis Subjunctiva vel Optativa Præteriti ſignificatio aperte indicatur particulis quibusdam, quæ Modum Subjunctivum vel Optativum neceſſario requirunt; at ſæpe etiam Hebræi Subjunctive vel conditionaliter loquuntur, ubi id tamen nulla particula indicant, & omnino poſitive ſeu Indicative loqui videntur; verum tunc facile ſatis ex toto ſermonis argumento atque contextu elici poteſt, orationem eſſe Subjunctivam vel conditionalem, atque particulas כי / אם vel ſimiles eſſe ſupplendas.

Ruth I. 12.

Ruth. I. 12. Naomi ſuis nuribus dicit גם הייתי הלילה לאיש וגם ילדתי בנים וגו *Etiam ſi fuerim hac nocte viro, atque etiam pepererim filios, an propterea exſpectaretis, donec adoleſcant.* Hic certe per ellipſin deeſt particula conditionalis אם vel ſimilis quædam. Totus vero contextus nobis ſatis ſuadet, ſermonem hic eſſe ſubjunctivum & conditionalem.

Ruth II. 9.

Ruth II. 9. Boaz Ruthæ hæc dicit וצמת והלכת אל הכלים ושתית מאשר ישאבון הנערים. *Et ſi ſitias, abi ad vaſa, & bibe ex eo, quod pueri hauſerint:* ubi itidem ſermo eſt conditionalis; adeo ut וצמת idem ſit, ac ſi Boaz dixiſſet ואם צמת

2 Reg. V. 13.

2 Reg. V. 13. Ubi ſervi Naämani Syri ſuo domino hæc dicunt: דבר גדול הנביא דבר הלוא תעשה Res ipſa hic iterum poſtulat, orationem eſſe hypotheticam, atque hoc modo

do vertendam: *Si Propheta magnam rem juſſiſſet, nonne faceres?*

Jerm. XVIII. 8. ושב הגוי ההוא מרעתו אשר דברתי עליו ונחמתי על הרעה Hæc verba, uti ex toto argumento hujus ſermonis divini liquido conſtat, etiam ſubjunctive vel conditionaliter vertenda ſunt, hoc modo: *at ſi converſus fuerit hic populus a ſuo malo, de quo contra eum loquutus ſum, tunc me pœnitebit hujus mali.* Simile quid obſervandum vs. 10. Jerm. XVIII. 8.

Jerm. XXXI. 5. נטעו נטעים וחללו Idem hic Præteriti uſus, de quo hic agimus, etiam hoc loco obſervandus; atque hæc verba ſic redderem: *plantatores quum plantaverint, etiam in ſuum uſum fructus decerpent.* Nam hic rem omni modo præteritam deſignari, mihi nullo modo fit probabile; quum præcedentia omnia ab initio vs. 4. futuro tempore proponantur. Præterea ſi hic res abſolute præterita ſignificaretur, potius ex indole Linguæ dicendum mihi videtur נטעו נטעים ויחללו. Jerm. XXXI. 5.

Obſcuri quid videtur ineſſe conſtructioni Præteritorum in parabola Jothami Jud. IX. 9. Jud. IX. 9.
ויאמר להם הזית החדלתי את דשני אשר בי יכבדו אלהים ואנשים והלכתי לנוע על העצים Interpretes paſſim hæc Præterita vel Futuro vel Imperfecto Subjunctivi vertunt; atque hoc modo vere hic Enallage Præteriti pro Futuro obſervanda foret: nam Imperfectum Subjunctivi, uti fere ſemper; ita præſertim in hac conſtructione Futuri eſt temporis. Videntur mihi, ſalva Præteriti temporis natura, hæc verba Perfecto vel Futuro Subjunctivi vertenda, hoc ferme

modo: *reliquerim pinguedinem meam, quam Dii hominesque in me laudabunt, & abierim ad vagandum ſuper arbores.* Atque hanc orationem ellipticam eſſe cenſeo, hoc vel illo modo ſupplendam מה טוב לי vel למה לי זאת hoc ſenſu: *ſi reliquerim pinguedinem meam, & abierim ad vagandum ſuper arbores, quid proderit mihi?* vel *quorſum hoc mihi erit?* Atque hoc modo commodiſſime Præteriti ſignificatio in hiſce Præteritis retinetur, nimirum Præteritum quoddam in re futura. Similis plane conſtructio obſervanda. vs. 11. & 13. Conferri hic omnino meretur locus plane parallelus. 1 Sam. XXV. 11. ubi Præterita ולקחתי & ונתתי eodem modo elliptice veniunt.

Plura alia hujusmodi conſtructionis Præteriti Exempla dabunt ſequentia loca Ex. XV. 14. Num. XXXVI. 3. 1 Sam. XVI. 2. Ezech. XIV. 14. Pſ. XXXIX. 12. LXXIII. 26. Prov. XI. 2. XXV. 16. Job XIX. 26. 2 Chron. VII. 21.

§. IX.

Uſus Præteriti cum Vav immediate præfixo.

Vidimus hactenus varium, eumque analogum Temporis Præteriti uſum apud Hebræos; ubi nimirum Præteritum abſolute venit, nec ulla copula præcedenti cuidam Tempori jungitur: pergamus jam ad inſignem illum Præteriti uſum, ubi ope copulæ ו præcedenti cuicunque Tempori adglutinatur. Duplex Vav Præteriti a Grammaticis Hebræis commemoratur: alterum וו חבור *Vav Copulativum*, quod tantum ſimpliciter *copulandi*

landi vim habet, non vero vim *convertendi.* Alterum ו׳ הפוך *Vav Converſionis*, ſeu *Vav Converſivum*, quod præter vim *copulandi*, etiam vim *convertendi* habere; immo quod interdum *copulandi* vim plane negligere, & tantummodo vim *convertendi* retinere creditur: idque unanimi, quod ſciam, Grammaticorum conſenſu. Utrumque illud Vav ope Schevatis Præterito præfigitur: at Vav, quod *Converſivum* eſſe creditur, illud præterea ſingulare ut notam quandam characteriſticam habet, qua a Vav ſimpliciter *Copulativo* diſtinguitur, quod in variis caſibus, ubi id ſalva Accentuum natura ac diſpoſitione fieri poſſe creditur, Accentum ad ultimam Syllabam protrudat, adeoque Verba, quæ natura ſua Penacuta ſunt, Acuta faciat. Maxime illud obſervandum venit in 1 & 2 Perſona ſingulari Præteriti, excepto Kal Verborum Quieſcentium tertia ה & א. Itemque in variis caſibus in Verbis Quieſcentibus & Defectivis ſecundæ Radicali; quæ ubi cæteroquin Penacuta ſunt, Acuta fiunt. Conferri hic poterunt, quæ habet Buxtorfius Lib. II. Theſ. Gramm. Cap. 21. & Altingius in Fundam. Punct. Ling. Sanct. §. CXLV.

Inquirendum jam, quibus in caſibus Vav Præteriti, ubi id ſalva Accentuum natura fieri poteſt, Accentum ex penultima in ultimam Syllabam protrudat, & quando non. Cl. Buxtorfius Theſ. Gramm. Loco Laud. notat R. Eliam in Libro *Habbachur* Orat. I. Sect. 5. obſervaſſe: *Si præceſſerit aliud Præteritum*, (vel *Futurum loco Præteriti poſitum*) *tunc eſſe Copulativum; ſin minus, Converſivum judicandum eſſe*,

ut מי פעל ועשה *quis fecit, & operatus eſt?* Jeſ. XLI. 4. Forte omnis ratio hujus Accentus propulſionis nobis adhucdum nondum plane eſt perſpecta: hoc tamen obſervaſſe mihi videor: I. Accentum non rejici in ultimam Syllabam, quando tantum in genere res præterita narratur, ſine ſpeciali relatione Grammatica ad tempus aliquod præcedens Præteritum, ſeu ſine præcedenti tempore Præterito expreſſo; uti Ezech. XXXVII. 7, 10. Eccl. II. 14, 15, 17, 18. IV. 1, 7. Dan. XII. 5. 1 Chron. XXIX. 17. II. Quando venit poſt aliud tempus Præteritum expreſſum Jeſ. XLIII. 12. Eccleſ. I. 12, 13. II. 5, 8, 9. 1 Chron. XVII. 10. At vero hic obſervandum, tantummodo hanc Accentus retractionem negligi, ſi poſt tale Præteritum veniat, quod abſolute & ſimpliciter Præteritum eſt: ſi vero poſt tale Præteritum veniat, quod Præteritum eſt in re Futura, ſeu in Futuro Tempore, quodque Præterito vel Futuro Subjunctivi vertendum eſt, uti §. Præced. vidimus, hoc in caſu Accentus in ultimam Syllabam rejicitur, uti ex Exemplis mox citandis patere poterit. In omnibus fere reliquis caſibus, quando nimirum hoc Præteritum cum Vav immediate præfixo venit vel poſt Futurum, vel poſt Imperativum, vel poſt Participium Benoni, (ubi nimirum hoc Participium rem Futuram reſpicit, vel rem Futuram quaſi ut Præſentem ſiſtat; uti mox Num. II. pluribus videbitur) verba ex penacutis acuta facit.

Communis eſt Grammaticorum opinio, hoc Vav Præteriti ſæpiſſime habere vim ſig-

ni-

nificationem Præteriti in eam Futuri convertendi, atque ſingularis hujus poteſtatis notam characteriſticam eſſe iſtam, quam diximus, Accentus repulſionem in Verbis Penacutis. Si vel maxime darem, hoc in caſu Præteriti ſignificationem in eam Futuri converti, atque adeo hic ſaltem inſignem obſervari Præteriti loco Futuri Enallagen, eo ipſo tamen nihil detrimenti patietur Hebræa Lingua ratione regularis & conſtantis uſus ac poteſtatis ſuorum Temporum: quia hic ſingularis quidam idiotismus, & conſtans praxis ſeu uſus hujus Linguæ obſervari poterit. Tales vero Temporum Enallagas ſeu Anomalias hic præſertim impugno, ubi ſine ulla fere ratione, etiam in ſimpliciſſima narratione hiſtorica, Præteritum pro Futuro, vel Futurum loco Præteriti veniat; ferme quaſi omnino promiſcuus, & plane indifferens horum Temporum eſſet uſus atque poteſtas.

Hocce Præteritum cum Vav Converſivo dicto ſæpiſſime, præſertim ſi poſt Futurum veniat, Futuri temporis eſſe, omnino largior; quod vel exinde manifeſtum fit, quod ſi ſeries orationis per eadem Tempora decurrat, atque interim aliquando Vav non immediate Verbo ſuo jungatur, tunc Futurum Tempus adhibeatur. Hujus rei Exempla ubivis obvia ſunt; inſpiciantur tantum hæc loca Num. XXXIII. 52. XXXV. 2, 3, Deut. XII. 3. Mox etiam hujus rei illuſtrandæ propior dabitur occaſio, nimirum §. XI.

Quod ſi vero dicamus, hoc Vav Præteriti Converſivum eſſe, idque ſine ulla ulteriori

riori limitatione, quid tandem fiet de inſigni ſatis Exemplorum numero, ubi extra omne dubium Præteritum cum Vav Præfixo vel Præſenti, vel Præterito tempore, vel Imperative vertendum ſit? uti mox patebit. Num dicendum erit, hæc Exempla, quotquot ſint, eſſe exceptiones a regula? Quod non facile concesſerim: hoc enim modo Enallage in Enallage fingenda foret, neque hac ſaltem in parte ullibi certo pedem figere liceret. Nec Accentuum repulſio hic ſemper ut nota diacritica haberi poterit, num Vav ſit tantum Copulativum, an vero ſimul Converſivum ſit; quia Verba maximam partem ſua natura ſunt voces מלרע ſive acutæ; ubi adeoque ea Accentuum repulſio locum habere nequit, ſed tantum in Verbis penacutis מלעל dictis.

Nonne inſigni modo Analogiæ Hebræae Linguæ conſuleremus, ſi eum uſum atque poteſtatem huic Præterito cum Vav immediate præfixo tribuam, ubi nullis, quod ſciam, exceptionibus premimur, atque ſemper fixo talo procedere licebit? Nam certe exceptionum copia auctoritas regulæ non parum infringitur ac debilitatur.

Hiſce in anteceſſum obſervatis, liceat mihi Grammaticorum judicio atque examini ſubjicere, quid mihi hac in parte videatur. Poſtquam omnia, & ut primo adſpectu videntur, admodum varia hujus Vav Præterito præfixi phænomena ſingulari attentione & repetitis vicibus obſervaveram, ea mihi hac in parte Hebrææ Linguæ indoles viſa

fuit,

Digitized by Google

fuit, ut ſuo Præterito cum Vav immediate præfixo utantur ad ſignificandum idem plane tempus, quod immediate præceſſit, ſeu ad quod hoc Præteritum ope ſui Vav refertur: atque adeo hoc Præteritum cum Vav præfixo inſerviet continuandæ orationi per eadem tempora. Solent enim Hebræi, quando oratio aliquamdiu iisdem temporibus, ſive Præteritis, ſive Futuris continuatur, poſtquam ſermonem ſive Præterito, aut Futuro Tempore inchoaverunt, in decurſu orationis, quamdiu ea eodem tempore continuatur, ſuum Præteritum ponere cum Vav præfixo: quod Præteritum ex conſtanti Linguæ idiotiſmo eodem tempore vertendum erit, quo oratio ordiebatur, ſive Præſenti, ſive Præterito, ſive etiam Futuro.

Hoc modo illud Vav Præteriti, quod hactenus unanimi fere Grammaticorum conſenſu ut Vav Converſivum reputatum fuit, ferme vim ſuam atque proinde & nomen amitteret: nam licet interdum tale Præteritum cum Vav præfixo Futuro Tempore vertendum ſit, id proprie non fit vi quadam Converſiva, ſed tantum ex quodam accidenti; quia nimirum præcedens tempus, ad quod refertur, Futurum eſt: Verum potius hujus Vav vis ac poteſtas erit *Relativa*, vel *Subjunctiva*, qua hoc Præteritum præcedenti tempori ſubjungitur ut plane ejusdem temporis cum præcedenti: adeoque ex hac propria & nativa vi hujus Vav Præteriti, illud potius dicerem *Vav Relativum*, vel *Subjunctivum*: quo artis termino liceat mihi in ſequentibus uti.

Digitized by Google

Quod vero hæc propria ac genuina vis ſit Præteriti cum Vav immediate præfixo, vel ex ſolo uſu Verbi והיה ſatis demonſtrari poſſe mihi videtur. Quivis Sacrum Hebræum Codicem attente legens, facile viderit, hoc Verbum cum Vav præfixo, interdum Futuro vertendum, & *erit*; interdum vero Præterito, & *erat*, vel & *fuit*: idque ſine ulla nota diſcretiva aut ope Accentuum, aut alia quacunque ratione; nam ſemper eſt vox natura ſua מלרע ſive acuta, ubi adeoque Accentus propulſio in ultimam Syllabam locum non habet. Jure jam hic quæritur, an id prorſus a noſtro lubitu pendeat, ſive hoc Verbum Præterito, ſive Futuro Tempore vertatur? Nonne id inſignem Hebrææ Linguæ defectum & ἀκυρολογίαν ſaltem hac in parte argueret? ubi plane incerti erimus, num res Præterita an Futura ſignificetur. Ex vulgari ſententia hic omnino dicendum erit, interdum Vav Præteriti eſſe Converſivum, interdum non; at interim neſcimus quando Converſivum ſit, vel quando non, niſi id ex loci argumento & contextu liquido pateat; in aliis vero caſibus res prorſus manebit dubia & incerta. Verum de tota hac re omnino certiores fieri poterimus, ſi obſervemus Vav Præteriti eſſe *Relativum* vel *Subjunctivum*; adeo ut tale Præteritum ut ejusdem temporis conſtituatur cum præcedenti Tempore. Atque adeo והיה Præterito Tempore vertendum erit, ſi præcedat vel ſequatur Tempus aliquod Præteritum, (vel Futurum Relativum, ſeu Futurum in re præterita, quodque Imperfecto Tempore ver-

vertendum) a quo dependeat. At vero והיה Futuro Tempore erit vertendum, ſi præcedat vel ſequatur Futurum Tempus, (vel etiam Præteritum in re Futura) a quo dependeat. Quod niſi vehementer fallar, facile locorum inductione probari poſſet. Poſterioris hujus caſus, ubi והיה a præcedenti vel ſequenti Futuro dependeat, atque proin Futuro vertendum ſit, Exempla quævis fere Sacri Codicis pagina abundanter ſuppeditat: quam ob rem hæc notare omitto. Prioris vero caſus, ubi והיה a præcedenti vel ſequenti Præterito dependeat, adeoque Præterito Tempore ſit reddendum, Exempla paullo ſunt rariora: quapropter hæc noto Gen. II. 10. IX. 13. Ex. XVII. 11. XXXIII. 7, 8, 9. Joſ. IX. 12. Jud. II. 18. VI. 3. 1 Sam. XXV. 20. XXVII. 12. Jeſ. IX. 4.

Quod vero ad diſtinctionem attinet inter Vav, quod dicitur ſimpliciter *Copulativum*, & inter Vav *Converſivum*, (ſeu quod mihi potius *Relativum* eſt) quodque paſſim verba ex penacutis acuta facit, ita mihi ſentiendum videtur: quando Præteritum cum Vav præfixo venit poſt aliud Præteritum, quod abſolute & omni modo Præteritum eſt, tunc nihil ſingulare huic Præterito accidit, neque vi ſuæ relationis ad præcedens Præteritum ullam ſubit mutationem; eſt, manetque abſolute & omni modo Præteritum, uti mox §. Seq. Num. I. patebit: adeoque hic nullam Hebræi ponunt notam characteriſticam. Si vero Præteritum cum Vav præfixo ob relationem ad Verbum præcedens quandam ſubeat mutationem, uti quando ob præcedens Fu-

Futurum Futuri notionem induit, tunc ſolitum eſt Hebræis, notam quandam characteriſticam adhibere; nimirum eam, quam diximus, Accentus rejectionem in ultimam Syllabam in Verbis penacutis, ubi nulla alia ratio obeſt; uti ex iis, quæ paullo ante eodem hoc Tmemate notavi, videre licet.

§. X.

Relativus uſus Præteriti cum Vav Præfixo per partes demonſtratur, ac illuſtratur.

Hæc quæ dico, niſi me omnia fallant, inductione fere omnium locorum, adeoque modo quam certiſſimo ex iis, quæ ſequuntur, facile probari poterunt; ubi pro diverſitate Temporis præcedentis varium atque *relativum* uſum Præteriti cum Vav paſſim videas; adeo ut ſemper naturam Temporis præcedentis vi ſuæ relationis ſequatur, vel eam quaſi induat. Hunc in finem hæc noto

I. Si præcedens Tempus, ad quod noſtrum Præteritum ope Vav Præfixi refertur, ſit Tempus Præteritum, tunc etiam hoc Præteritum cum Vav præfixo Præterito Tempore vertendum erit; adeoque ejusdem erit Temporis cum præcedenti Præterito. Exempla hujus rei paſſim obvia ſunt: hæc tantum noto.

Gen. XXXI. 7.

Gen. XXXI. 7. Jacobus ſuis uxoribus hæc dicit ואביכן התל בי והחלף את משכרתי עשרת מנים *At pater veſter illuſit mihi, mutavitque decies mercedem meam.* Ubi evidenter ſatis liquet, והחליף hic Præteriti Temporis manere, & ejusdem plane eſſe Temporis cum præcedenti Præterito התל

Gen.

Digitized by Google

Gen. XXXIV. 5. ויעקב שמע כי טמא את דינה בתו ובניו היו את מקנהו בשדה והחריש יעקב עד באם *Et Jacobus audiebat, quod vitiaverat Dinam filiam ſuam, & filii ejus erant cum pecore ſuo in agro, & ſilebat Jacobus donec venirent.* Ubi iterum והחריש Præteriti Temporis manet, atque eo ipſo etiam hic ejusdem eſt Temporis cum præcedentibus Præteritis שמע & היו ad quæ refertur ope Copulæ Vav. Simul ex hiſce aliisque ſimilibus Exemplis videre datur, nihil inſoliti aut ſingulare huic Præterito cum Vav præfixo accidere, ſi poſt Præteritum veniat, quod ſcilicet abſolute & omni modo Præteritum eſt. Gen. XXXIV. 5.

Jes. VIII. 11. כי כה אמר יהוה אלי בחזקת היד ויסרני *Nam ſic dixit mihi Jehovah robore manus, & erudivit me.* Sunt Interpretes, qui וִיסְּרֵנִי hic accipiunt ut Futurum in Kal, cujus ſententiæ etiam videntur fuiſſe Junius & Tremellius, qui Imperfecto Subjunctivi vertunt: *quum erudiret me.* Fateor Futura paſſim Affixum נִי per Tſere ſibi adjungunt, uti Præterita per Patach. Verum hoc non ſemper ſeu conſtanter obſervatur: nam נִי ſæpe Futuris per (-) adglutinatur, uti oſtendit Cl. Altingius in Fund. Punct. Ling. S. §. CXL. Pag. 304. Cl. Coccejus ad h. l. notat: *raro* נִי *per* (-) *Futuris nectitur, aut per* (..) *Præteritis; id tamen fit.* Neque negaverim, ſatis uſitatum eſſe, ut Quieſcentia פּי mutationem ſequantur Deficientium פּנ nam alioquin, ſi יְסַּרְנִי ut Futurum reputetur, Jeſ. VIII. 11.

pro-

proprie hoc modo punctandum foret יִסְּרֻנִי

Nihilominus tamen potius יִסְּרֻנִי mihi videtur Præteritum Pihel. Rationes mihi maxime ſunt; Primo, quia יסר ſignificatione *erudiendi*, vel *caſtigandi* non adeo uſitatum eſt in Sacro Codice in Conjugatione Kal; at uſitatiſſimum in Pihel. In Kal non reperitur hoc Verbum, ſi Concordantiis fides, niſi bis Participium Benoni Pſ. XCIV. 10. Prov. IX. 7. Præterea ſi יִסְּרֻנִי hic eſſet Futuri Temporis, potius ex Idiotiſmo Linguæ ו ſignandum foret per Patach, ſequente Dages forti, hoc modo וַיְּסְּרֻנִי Atque hoc modo Hebræos Copulam Vav ſignare in Futuris Relativis, ſeu Futuris in re præterita ſeq. Diſſ. videbimus.

Si vero quis plura hujus conſtructionis Præteriti cum Vav præfixo Exempla deſiderat, adeat Deut. II. 30. Jud. II. 18. Jeſ. VI. 3.

II. Secundo loco obſervo, ſæpe Præteritum cum Vav immediate præfixo in oratione continuata venire poſt Participium Præſens ſeu Benoni; maxime quidem quando conſtruitur cum Particula Demonſtrativa הִנֵּה Ubi infra ſuo loco agendum erit de Participio Benoni, demonſtrandi dabitur occaſio, cujusnam ſit temporis, quum Verbi Gratia dico הנני עושה Quo, uti videbimus, maxime quidem Futurum Tempus reſpicitur: attamen vere videtur eſſe Præſentis Temporis; adeo ut hac loquendi formula res licet vere Futura, tamen ut jam Præſens oculis con-

contemplanda ſiſtatur. Si jam poſt hanc vel ſimilem loquendi formulam in oratione continuata ſequatur Præteritum cum ſuo *Vav Relativo*, (quod etiam hoc in caſu, ut ſupra obſervavimus, Verba ex Penacutis Acuta facit) quæritur, cujusnam Temporis ſit hoc Præteritum, ſeu quo Tempore vertendum? Ita mihi videtur, ſi accurate indolem hujus loquendi formulæ obſervemus, eique per totam continuatam orationem inhæreamus, poſſe commode hoc Præteritum cum ſuo *Vav Relativo* Præſenti Tempore verti: nam vi hujus loquendi formulæ res Futura ut Præſens ſiſtitur, & ope Præteriti cum Vav immediate præfixo ſermo continuatur eodem Tempore. Si vero non adeo ſollicite indolem phraſeologiæ Hebrææ per totam continuatam orationem curamus, facile licebit, Præteritum cum ſuo Vav Relativo Futuro vertere; quia vere Futurum Tempus ſignificatur. Hæc quæ dico, uno alterove exemplo prolato, clariora evadent.

Gen. VI. 17. 18. ואני הנני מביא את Gen. VI.
המבול מים על הארץ —— והקימתי את 17, 18.
בריתי אתך Quæ verba ſervato ſtylo Hebræo, ſic vertenda cenſeo: *Me vero quod attinet, ecce me adducentem diluvium aquarum ſuper Terram —— & erigentem fœdus meum tecum.* Vel hoc modo: *ecce me, qui adduco —— & erigo fœdus meum tecum.* Vere tamen hic, quod fateor, Futurum Tempus reſpicitur, uti ex argumento hiſtoriæ liquido conſtat. Hoc vero hic maxime obſervandum, Præteritum והקימתי hic ope Vav Relativi ut ejus-

Digitized by Google

ejusdem Temporis venire cum præcedenti Participio מביא ad quod refertur.

Gen. XLVIII. 4. Gen. XLVIII. 4. הנני מפרך והרביתך לקהל עמים ונתתי את הארץ הזאת לזרעך אחריך אחזת עולם Hic tria Præterita cum ſuo Vav Relativo veniunt poſt Participium מפרך adeoque, quum hic ſermo eodem plane Tempore continuatur, hoc comma, ſervata Linguæ indole, hoc vel ſimili modo erit vertendum: *ecce me fæcundantem te*; vel *ecce me, qui te fæcundo, & amplifico te, & pono te in Cætum populorum; & do hanc Terram ſemini tuo poſt te poſſeſſionem perpetuam.* Si quis hæc Futuro Tempore vertere malit, non tam accurate indole phraſeos obſervata, non equidem repugno. Hoc tantum volo, quod quivis mihi, ut ſpero, facile largietur, hæcce Præterita ope ſui Vav eſſe Relativa ratione Temporis præcedentis, adeoque ejusdem eſſe Temporis cum Participio מפרך

Similia hujus conſtructionis exempla videri poſſunt 1 Reg. XI. 31. XIV. 10. & ſæpiſſime alibi.

Eodem fere modo Præteritum cum ſuo Vav Relativo poſt Præſens quoddam Tempus venit; ita ut & ipſum Præſenti Tempore ſit vertendum 2 Reg. V. 18. ubi Naaman Syrus hæc dicit לדבר הזה יסלח יהוה לעבדך בבוא אדני בית רימון להשתחות שמה והוא נשען על ידי והשתחויתי בית רמן וגו *Hac in re ignoſcat Jehovah ſervo ſuo: in ingrediendo Domino meo*, vel *quando ingreditur ædem Rimmon, ad adorandum ibi; & ipſe innixus ſuper manum meam; & ego incurvo in æde*

2 Reg. V. 18.

æde Rimmon. Hic mihi Infinitivus בבואו Præſentis eſt Temporis, adeo ut hic commode vertatur, *quando ingreditur:* atque adeo והשתחויתי quod hic Præſenti cuidam Tempori ſubjungitur, etiam Præſenti Tempore vertendum erit. Hoc vero hic obſervandum, quod tale Præſens, quod latet in Infinitivo cum ב conſtructo, hic ab alio quodam caſu ſeu Tempore dependeat, quodque adeo æque venire poſſit vel ut Præſens in re præterita, vel ut Præſens in re futura: nam uti in re præterita, ſic & in re futura Præſens quoddam obſervare licet, uti ſuo loco vidimus. Sic maxime Infinitivus cum ב conſtructus vi particulæ ב interdum hoc modo de re præterita, interdum de re futura uſurpatur, quod ex rerum argumento, vel ex additis aliis Verbis aut Futuri, aut Præteriti Temporis facile paſſim dijudicatur, ut infra Diſſ. IV. ubi de Infinitivo dicendi erit locus, videbimus. In hiſce vero Naamanis Verbis id non adeo facile dignoſcitur; neque quod hic והשתחויתי Accentum non in ultimam Syllabam rejiciat, ex eo quicquam pro Tempore Præterito concludi poterit, quum idem hoc Verbum etiam alibi, ubi plane Futuro Tempori inſervit, tamen Accentum in penultimo retinet 1 Sam. XV. 30. Nec forte neceſſe erit, hic anxie inquirere, num hæc Naamanis verba vel de Futuro vel de Præterito Tempore ſint intelligenda; quum, uti mihi videtur, commode de utroque, tam Præterito quam Futuro Tempore accipi poſſint; præſertim quum hic nulla fere ſatis ſolida limitandi ratio oc-

 currat.

currat. Si vero alterutrum eligere cogar; maxime hic Futurum reſpici judicarem. Conferri hic merentur, quæ ad h. l. notavit Doct. Werenfelſius Diſſ. *de Naamane Syro ab Hypocriſi Vindicato*, Operum Tom. I. pag. mea 228, 229.

III. Notandum, hoc modo interdum Præteritum cum ſuo Vav Relativo conſtrui cum alio præcedenti Præterito; ubi tamen hoc Præteritum venit loco Præteriti vel Futuri Subjunctivi: quale Tempus Præteritum ſimul atque Futurum involvit, quatenus ſignificat Præteritum in re Futura, uti Diſſ. I. §. 9. obſervavimus: atque hoc caſu Hebræos ſuum Præteritum uſurpare, vidimus præcedenti §. 7. Hic iterum Præteritum cum Vav Relativo ut ejusdem plane Temporis, quin & Modi conſtituitur cum præcedenti Præterito, uti id manifeſtum fit ex parabola Jothami Jud. IX. 9, 11, 13. Quo in caſu etiam Accentus in ultimam Syllabam rejici ſolet. Hunc vero locum ſupra jam illuſtravi §. 8. Simile quid obſervari poterit Jerm. XXXVII. 10. Ubi quia præcedens Præteritum ex noſtro idiomate Plusquamperfecto Subjunctivi vertendum eſt, uti etiam §. 7. vidimus, etiam ſequens Præteritum cum Vav Relativo eodem Tempore reddendum erit. Hæc ſunt verba כי אם הכיתם כל חיל כשדים הנלחמים אתכם ונשארו בם אנשים מדקרים איש באהלו יקומו ושרפו את העיר הזאת באש *Nam ſi percuſſiſſetis omnem exercitum Chaldæorum oppugnantium vos, & reliqui manſiſſent inter eos homines transfixi; ſurgerent*

Jerm. XXXVII. 10.

gerent quisque in ſuo tentorio, & comburerent banc civitatem igne. Ubi ונשארו vi ſui Vav Relativi naturam ſequitur præcedentis Præteriti הכיתם

IV. Si præcedens Tempus, ad quod Præteritum cum Vav Relativo refertur, ſit Futurum cum Vav vulgo dicto Converſivo, ſimiliter Præteritum cum Vav Relativo ut ejusdem plane Temporis ſiſtitur, & plerumque commode ex noſtro idiomate Præterito Imperfecto vertitur. Hujusmodi conſtructio obſervanda venit ſequentibus locis.

Jud. III. 23. ויסגר דלתות העליה בעדו ונעל *Et occludebat fores cænaculi circa illum, & peſſulo obſerabat*: ubi ונעל ut ejusdem Temporis venit cum ויסגר Jud. III. 23.

Jud. VI. 3. והיה אם זרע ישראל ועלה מדין ועמלק ובני קדם ועלו עליו *Et erat, quando conſeverat Israël, & adſcendebat Midian & Amalek & filii Orientis, & adſcendebant contra eum.* Ratio, ob quam hæc Præterita cum Vav והיה/ ועלה & ועלו Imperfecto vertenda ſunt, ea mihi eſt, quia ope ſui Vav dependent a Futuro cum Vav dicto Converſivo ותעז quod occurrit in initio vs. 2. Quale Futurum, ſi abſolute ſpectetur, vere Præteritum Tempus denotat, & ſæpiſſime, præſertim in narratione hiſtorica, Imperfecto vertendum eſt, ut Diſſ. ſeq. videndum erit. Jud. VI. 3.

Idem hic uſus Præteriti cum Vav Relativo paſſim obſervatur Joſ. XV, XVI, XVII, XVIII. 12. & ſeqq. & XIX. ubi Præterita וְיָצָא/ וְעָבַר/ וְיָרַד & ſimilia paſſim ratione

Temporis dependent a præcedenti aliquo Futuro cum Vav dicto Converſivo, ut וַיְהִי aut וַיֵּצֵא Adeoque omnia hæc Præterita Imperfecto Præterito vertenda ſunt. Miror vero Belgas Interpretes hæc Præterita Cap. XV. maximam partem Futuro Tempore vertere: at in ſequentibus hæc paſſim Præſenti Tempore reddere. Plura hujus rei exempla vid. 1 Sam. VII. 15, 16. 2 Sam. XIII. 18. 2 Reg. XXV. 28, 29. 2 Chron. XII. 10.

V. Si Præteritum cum ſuo Vav Relativo veniat poſt Futurum, quod ſæpiſſime fieri videas, tunc vi relationis, quæ per copulam Vav indicatur, Futuri ſignificationem induit: atque maxime hanc ob cauſam hactenus creditum fuit, Vav Præteriti ſua natura habere vim Converſivam. Verum vel ex iis, quæ jam hucusque obſervata dedi, facile quis viderit, hanc non eſſe propriam aut nativam vim hujus Vav Præteriti; verum tantummodo hoc in caſu, ſi Futurum præcedat, Præteritum cum Vav Relativo in ſignificationem præcedentis Temporis Futuri quaſi tranſire; adeoque tantum ex quodam accidenti, non vero ſua nativa vi hoc Præteritum ſignificatione Futuri venire. Hujus rei exempla ubivis fere obvia ſunt.

Gen. II. 24. Gen. II. 24. על כן יעזב איש את אביו ואת אמו ודבק באשתו והיו בשר אחד *Propterea relinquet vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt una caro.* Hic utique Præterita ודבק & והיו ratione conſtructionis dependent a præcedenti Futuro

יעזב

יעזב atque propterea Futuri Temporis natu-ram quaſi induunt. Neque hæc Præterita Futuro forent vertenda, ſi non præcederet aliquod Futurum Tempus expreſſum aut ſub-intellectum. Simile quid obſervari poterit in his locis Gen. XV. 13. XXIV. 4. XXXIX. 9. L. 24. Exod. II. 7. Deut. XII. 5, 6. 2 Sam. IV. 11. XVII. 13. 1 Reg. I. 14. Jerm. XXXVI. 29.

Quin & hic obſervandum, ſi præcedens Futurum ex indole aliarum Linguarum Præ-ſenti ſubjunctivi ſit vertendum, ejusdem pla-ne Temporis erit Præteritum cum Vav Re-lativo, quod ipſi ſubjungitur. Sic GEN. III. 22. ubi Deus hæc de homine dicit ועתה פן ישלח ידו ולקח גם מעץ החיים ואכל וחי לעלם *Nunc vero ne extendat manum ſuam, & accipiat etiam ex arbore vitæ, & comedat, & vi-vat in ſeculum.* Sic & DEUT. IV. 1. למען תחיו ובאתם וירשתם את הארץ *Ut viva-tis, & ingrediamini, & hæreditario jure poſſi-deatis terram.* In hiſce locis nullam aliam ob cauſam Præteritum cum Vav Relativo Præ-ſenti Subjunctivi vertendum eſt, niſi quod ſe-quatur naturam præcedentis Futuri. Plura alia hujus rei Exempla vid. Deut. V. 30. XIII. 18. 1 Sam. IX. 5. Prov. XXIV. 18. XXX. 9, 10. Eccleſ. II. 24. III. 13. Gen. III. 22. Deut. IV. 1.

VI. Quando idem hoc Præteritum cum Vav Relativo venit poſt Modum Imperati-vum, vel poſt Futurum Imperative ſumtum, in Imperativi ſignificationem prorſus tranſit: maxime quando hoc Præteritum eſt ſecundæ Perſonæ, adeo ut commode vel Imperandi

vel ſupplicandi Modo inſerviat: atque hoc modo Præteritum hoc in continuatis præceptis aut precibus uſitatiſſimum eſt. Singularis hic Hebrææ Linguæ idiotismus obſervandus venit, quod etiam hoc Præteritum cum ſuo Vav Relativo Imperativi Modi vices gerat vi ſuæ relationis ad præcedens Imperativum, vel Futurum Imperativi loco poſitum. Fit quidem interdum, ut Hebræi in continuatis præceptis vel mandatis varios Imperativos mediante copula ו conjungant, veluti Lev. IX. 7. Sic etiam interdum preces continuantur, variis Imperativis vel Futuris ſibi junctis, ut Pſ. LXXIX. 9. Dan. IX. 18, 19. At maxime uſitatum eſt Hebræis, ſive in mandatis, ſive in precibus primo loco Imperativum, vel Futurum Imperative ponere, dein vero orationem continuare ope Præteritorum cum Vav Relativo. Hæc quæ dico, ubivis fere in Sacro Codice obſervantur: lubet tamen ſpeciminis cauſa, ut res ipſa eo clarior evadat, ex ingenti Exemplorum numero unum aut alterum proferre.

Quod ad præcepta vel mandata attinet,
Gen.VI.14. Gen. VI. 14. Deus Noacho mandat עשה לך תבת עצי גפר קנים תעשה את התבה וכפרת אתה *Fac tibi arcam e lignis Gopher, manſionibus facies arcam, & pice oblinito eam.* Ubi וכפרת ope ſui Vav refertur vel ad Imperativum עשה vel ad Futurum Imperative ſumtum תעשה adeoque Imperativi locum occupat. Idem obſervatur vs. 21. Cap. XLV. 9, 10. Exod. III. 16. Uſitatiſſima eſt hæc Præteriti cum Vav Relativo conſtructio in omni-

Digitized by Google

omnibus fere præceptis Legis Moſaïcæ: inſpici præ cæteris merentur Exod. XXV. & aliquot ſequentia Capita, ubi paſſim videas, Præterita cum ſuo Vav dependere a præcedenti Imperativo, vel Futuro loco Imperativi poſito. Sic & Exod. XL. 1—17. in qua pericopa & hoc obſervandum, quod etiam paſſim alibi obtinet; quod quando Vav non immediate Præterito præfigitur, tunc iterum Imperativum vel Futurum poni ſolitum ſit. Sic ex. gr. vs. 14. hujus citatæ pericopæ dicitur ואת בניו תקריב pro והקרבת את בניו. Poſt hoc Futurum vero præcepta iterum continuantur Præteritis cum ſuo Vav Relativo.

Idem plane dicendum erit de continuatis precibus aut ſupplicationibus, cujus rei etiam paſſim obvia ſunt Exempla. (Imperativum vero Modum, uti & Futurum non tantum Imperando, verum etiam orando aut ſupplicando inſervire, vidimus ſuo loco.) Si jam preces ordiantur Futuro Tempore, aut Modo Imperativo, ſæpiſſime continuantur Præteritis cum Vav Relativo. Exemplo ſint ſequentia loca.

Exod. XXXIV. 9. Moſes Deum orat ילך נא אדני בקרבנו וסלחת לעוננו ולחטאתנו ונחלתנו *Eat quæſo Dominus in medio noſtri; & condones iniquitatem noſtram, & peccatum noſtrum, & in hæreditatem adſumas nos.* Ubi וסלחת & ונחלתנו ſequuntur naturam præcedentis Futuri ילך quod hic ſupplicative venit. Exod. XXXIV. 9.

Inſigni modo hic uſus Præteriti cum Vav Relativo obſervatur in precibus Salomonis

1Reg. VIII. 26. & ſeqq. 1 Reg. VIII. 26. & ſeqq. ubi continuo hæc Præterita cum Vav, quæ ſupplicative vertenda ſunt, dependent a præcedenti quodam Imperativo vel Futuro. Sic ex. gr. quando Salomoh vs. 28. dicit ופנית אל תחלת עבדך id referendum eſt ad verba vs. 26. יאמן נא דברך Quum verba verſus 27. parentheſi includenda mihi videantur. Et ſic idem illud per totam fere hanc orationem obſervari poterit, ſaltem uſque ad vs. 44. ubi Præterita cum Vav Relativo paſſim dependent a præcedenti Futuro ואתה תשמע Quum a vs. 44. & deinceps hoc Præteritum cum ו magis elliptice ſeu defective venire videatur: de quo ſeq. Obſerv. aliquid monendum erit. Interdum vero poſt Futurum, quod ſimpliciter Futurum eſt, venit Præteritum cum Vav Relativo in ſignificatione Modi Imperativi; uti ex. gr. Exod. XIII. 19. *Nam adjurando adjuraverat Joſephus Filios Israëlis, dicens* פקד יפקד אלהים אתכם והעליתם את עצמתי מזה אתכם *omnino viſitabit vos Deus; transferte tunc hinc vobiscum oſſa mea.* Simile quid videre licet Gen. XLVI. 33, 34. Verum neque hoc modo Vav Præteriti vim ſuam relativam amittet, quum ex indole Hebrææ Linguæ maxima inter Futurum & Modum Imperativum ſit convenientia, adeo ut ſæpiſſime Futurum Imperando inſerviat: quod nec ab aliis Linguis plane eſt alienum. Potius tamen mihi videtur, hic eſſe quandam ellipticam loquendi formulam, Hebræis frequentiſſimam, ut ſeq. Obſerv. indicabimus; adeo ut ante והעליתם ſupplendum

ſit

ſit קומו vel לכו vel ſimile quid. Sic & contra hic obſervandum, quod poſt præcedentem Imperativum Præteritum cum Vav veniat ſignificatione ſimplicis Futuri, uti 1 Sam. XV. 30. ubi Saul hæc Samueli dicit ושוב עמי והשתחויתי ליהוה אלהיך *Et revertere mecum, & incurvabo Jehovæ Deo tuo.* Num vero hic והשתחויתי Futuri ſignificationem induat vi præcedentis Imperativi שוב quod utique uti omnis Imperativus Modus Futuri eſt temporis; an vero hic ante והשתחויתי ſupplendum ſit Verbum aliquod Futuri Temporis, ut אלך aut ſimile quoddam, mihi nondum ſatis liquet; atque aliis dijudicandum relinquo.

VII. Quod vero uſitatiſſimum ſit in Hebræa Lingua, ut hoc Præteritum cum ſuo Vav Relativo elliptice veniat, jam ſeptimo & ultimo loco obſervo, atque probare annitar. Sæpe fit, ut præcedens Verbum, a quo Præteritum cum Vav ratione conſtructionis Grammaticæ dependere neceſſe ſit, omnino per ellipſin deeſſe cenſendum ſit. Maxime talis elliptica loquendi formula obſervatur, quando hoc Præteritum cum Vav vel imperando, vel ſupplicando inſervit, non expreſſo præcedenti Imperativo vel Futuro. Exemplo ſint hæc loca.

Gen. XXXIII. 10. Jacobus fratri ſuo Eſavo hæc dicit אל נא אם נא מצאתי חן בעיניך ולקחת מנחתי מידי Quivis facile viderit hæc Jacobi verba elliptica eſſe, atque aliquid ſupplendum eſſe poſt אל נא *ne quæſo.* Gen. XXXIII. 10.

Nam cæteroquin nihil plane hic erit, quo hæ voculæ referantur. Suppleo igitur poſt אל נא Futurum חמאן aut aliud quoddam Verbum Futuri Temporis; quod argumentum totius hujus ſermonis omnino nobis ſuadet: atque hoc modo hunc locum verto: *ne quæſo renuas, ſi quæſo invenerim gratiam in oculis tuis, ſed accipias donum meum e manu mea.* Atque hoc modo ולקחת hic erit referendum ad ſubintellectum Verbum חמאן atque adeo commode etiam hic ſupplicando inſerviet.

Gen. XLVII. 23. GEN. XLVII. 23. Joſephus Ægyptiis dicit הא לכם זרע וזרעתם את האדמה Hic conſtructio Grammatica mihi ſuadet, ut ante וזרעתם ſuppleam לכו vel קומו *abite*, vel *agite*, vel ſimile quoddam Verbum Imperativi Modi; atque hac ratione habebimus, quo referatur וזרעתם & cujus vi hic imperative veniat; neque hoc modo hic Copulam Vav abundare dici poterit: atque adeo ita hæc verba redderem: *En vobis ſementum; agite & conſerite terram.* Neque hujusmodi ſupplementum hic durum aut inſolitum haberi poterit, quum ſæpiſſime ſoleant Hebræi mandatis, vel adhortationibus aut ſupplicationibus præmittere Imperativos קום / עשה / לך vel ſimiles. Sic plene dicitur Exod. III. 16. לך ואספת את זקני ישראל ואמרת אליהם *Abi & congrega Seniores Iſraëlis, & dicito illis.* Et ita ſæpius alibi.

Ps.

Ps. XXV. 11. למען שמך יהוה וסלחת לעוני *Propter nomen tuum, O Jehovah; & remitte iniquitatem meam.* Quivis facile videt, hæc verba quodad conſtructionem Grammaticam quodammodo eſſe elliptica: alioquin enim copula ו hic plane abundaret, nec ratio dari poſſet, quare hic Præteritum וסלחת Supplicando inſerviat. Supplendum mihi videtur יהי vel עשה *ſit*, *fiat* vel *fac propter nomen tuum*, *O Jehovah*, *& condona iniquitatem noſtram*. Pſ. XXV. 11.

Plura hujus modi loca Vid. Deut. XXIX. 8. Ezech. III. 17. Prov. XXIV. 27. Ruth. III. 9. *

Eodem modo interdum Præteritum cum Vav Relativo elliptice venit in Significatione ſimplicis Futuri: ubi adeoque Verbum aliquod Futuri Temporis ſupplendum erit; nimirum יהיה aut ſimile quoddam.

Exod. XVI. 6, 7. Hic Moſes & Aaron Filiis Iſraëlis hæc dicunt ערב וידעתם כי יהוה הוציא אתכם מארץ מצרים ובקר וראיתם את כבוד יהוה Ubi totius hujus periodi ſyntaxis nos docet, poſt ערב & בקר ſupplendum Verbum aliquod Futuri Temporis; nimirum יהיה aut כי יהיה vel ſimile quid: atque tunc commodiſſimus hic emerget Exod. XVI. 6, 7.

* Eodem fere modo Latini ſæpe elliptice loqui amant; quando ſuum Præſens Subjunctivi uſurpant in Imperando vel ſupplicando. Exempla Vid. apud Sanct. in Min. Lib. IV. Cap. V. Pag. 658, 659. ibique quæ notavit Cl. Perizonius. Uti & Pag. 661, 662. ubi oſtendit Sanctius, ſæpe ante Subjunctiva Imperative vel Adhortative ſumta per ellipſin deeſſe *moneo*, *volo*, *fac*, vel ſimile quid.

Digitized by Google

get ſenſus, *Veſpera erit*, vel *ſi erit*, *tunc agnoſcetis*, *quod Jehovah eduxerit vos e terra Ægypti*; *& mane ſi erit*, *& videbitis gloriam Jehovæ*.

Deut. IV. 30. DEUT. IV. 30. בצר לך ומצאוך כל הדברים האלה —— ושבת עד יהוה אלהיך ושמעת בקלו Ubi poſt בצר לך ſupplendum כי יהיה atque ſic hæc verba reddenda: *Quando erit tibi anguſtia*, *& omnes hæ res tibi obvenient* —— *tunc reverteris ad Jehovam Deum tuum*, *& voci ejus auſcultabis*.

Conferri hic præterea merentur Exod. XVII. 4. Jud. XVI. 2. 1 Reg. XIII. 31.

Hujusmodi vero ellipſes hic longe potiori jure ſtatuo convenienter Genio Linguæ, uti ex allatis Exemplis abunde mihi patere videtur; quam in hiſce aut ſimilibus caſibus paſſim pleonasmum copulæ ו cum Grammaticis admittere, uti Glaſſ. Lib. IV. Gramm. Sacr. Tract. 1 Obſerv. 7. Pag. 564. Sic & Cl. Vitringa Comment. in Jeſ. XLVIII. 7. Pag. 546. Atque inſuper hic admittenda foret duriſſima atque plane inſolita Præteriti loco Futuri Enallage. Vulgo dicitur, quod maxime in his caſibus Vav Præteriti tantum convertat; non vero copulet. Cl Guſſetius in Lex. ad V. ו dicit: *quod interdum* ו *otioſum ſit*, *& mere converſivum Temporum*. Et ſic fere alii omnes. Quod ſi dicere liceat, ex ignorantia conſtructionis Grammaticæ ortum mihi videtur; neque hoc facile conceſſerim. In quantum Vav Præteriti ſit converſivum Temporum, vel non, hic jam inquiro: quod vero interdum plane otioſum ſit, præſertim

Digitized by Google

in initiis Librorum vel ſententiarum, id paſſim nimis temere adſeri omnino putem.

Si jam varium hunc Præteriti cum Vav Relativo uſum, quem hiſce Obſervationibus enumeravimus, rite quis attendat, non facile dixerit, omnibus his, atque tam variis hujus Vav Præteriti Phænomenis ſatisfieri, ſi tantum dicamus, Vav Præteriti convertere Præteritum in Futurum. Eodem plane jure mihi dicere liceret, Vav Præteriti ſuum Præteritum convertere in quodcunque aliud Tempus vel Modum: nam his Obſervationibus vidimus, Præteritum cum Vav ſignatum interdum vertendum Tempore Præterito; interdum Præſenti, interdum Futuro; ſæpe id ex idiotismo aliarum Linguarum vertendum quocunque Tempore Modi Subjunctivi, quin & non raro Imperandi aut Rogandi vel Supplicandi Modo inſervire. Si vero ſimul obſervetur, hocce Præteritum cum Vav immediate præfixo conſtanter ſignificationem ſui præcedentis Temporis induere, nemo, ſi quid judico, mihi negaverit, hoc Vav Præteriti potiori jure Vav *Relativum* vel *Subjunctivum* dici, quam *Converſivum*.

§. XI.

Inquiri jam hic meretur, an Vav Præteriti etiam eandem hanc vim Relativam vel Subjunctivam exerceat; (nimirum ut inſerviat continuandæ periodo per eadem Tempora; adeo ut verbi gratia, poſt aliquod præcedens Futurum, etiam hoc Præteritum ut Futuri Temporis ſiſtatur) quando hoc Vav non

An Vav Præteriti etiam eandem hanc vim exerceat, quando non immediate Præterito præfigi-

tur, hic inquiritur. non immediate, verum intercedente aliquo vocabulo, Præterito præfigitur. Ut dicam, quod mihi hac in parte videtur; id non adeo ſolitum eſſe Hebræis deprehendi: nam Primo, nondum obſervavi, tale Præteritum, cui Vav non immediate præfigitur, Accentum ex penultima in ultimam Syllabam unquam rejicere; quod alias fieri ſolet, quando Præteritum cum Vav ob præcedens aliquod Futurum, in Futuri ſignificationem tranſit, uti §. IX. vidimus. Secundo, nec mihi hactenus ex Libris proſaïco ſtylo conſcriptis, ſive Hiſtoricis, ſive Propheticis, hujus rei ulla ſatis idonea Exempla occurrerunt; quum contra ſemper videas in ſermone continuato, ſi Præteritum ſuum Vav non immediate præfixum habeat, quandoque Futuro Tempori denotando inſerviret, quod tunc oratio non Præterito, ſed Futuro Tempore continuetur, quod jam §. IX, X. obſervatum fuit. Unum vero alterumve Exemplum obſervaſſe mihi viſus ſum in Libris Metricis, ubi facile quis hunc Præteriti uſum, etiam ubi Vav non immediate præfigitur, venire diceret. Verum hæc Exempla maximam partem ſatis ſunt dubia, utpote quæ fere omnes generales quasdam ſententias continent, quales paſſim occurrunt in Jobo, in Proverbiis, atque ſæpe etiam in Pſalmorum Libro; quas Hebræi interdum Præterito, interdum vero ſuo Futuro analogice atque eleganter ſignificant; utpote ubi non adeo definitum aliquod Tempus, ſive Præteritum, ſive Futurum indigitatur; uti infra Diſſ. IV. Cap. Ult. ubi de Temporibus Indefinitis dicendi erit locus, vide-

Digitized by Google

videbimus. Loca, quæ maximam ſpeciem habere videntur, hæc noto.

Prov. I. 22. עד מתי פתים תאהבו פתי ולצים לצון חמדו להם *Quouſque vos fatui amabitis ſtultitiam; & deriſores, deſideraſtis vobis deriſionem?* Verum hic locus exceptioni obnoxius eſt. Satis mihi certum videtur, ante poſterius hoc comma ex præcedentibus repetendum eſſe עד מתי jam vero in ſimili interrogatione, expoſtulatione aut increpatione per voces עד מתי Hebræi interdum Præterito, interdum Futuro Tempore utuntur; utrumque ſatis ἀναλόγως. Conferri merentur, quæ ſupra jam hujus Diſſ. §. II. hanc in rem notavi. Prov. I. 22.

Hujusmodi ferè ſunt ſequentia loca Pſ. L. 3. CVII. 42. Prov. XI. 7, 21. XII. 21. Job X. 3. XI. 20. XIX. 27. XXII. 28. XXXI. 7. Quibus plura addi poſſent: ſunt vero, uti jam dixi, omnia fere hujusmodi, ut non adeo definitum quoddam Præteritum aut Futurum Tempus deſignent, neque adeo ex hiſce ſolis certam regulam formarem.

Præ cæteris citatis locis liquidiſſimus mihi videtur Job XIX. 27. ubi Jobus teſtatur Job. XIX. 27.
אשר אני אחזה לי ועיני ראו ולא זר Quæ Verba a Pleriſque Interpretibus hoc fere modo redduntur: *quem ego adſpiciam mihi, oculique mei videbunt; & non alienus*, vel *alieni*. Si jam quæratur ratio, quare ראו Futuro vertatur, quidam nobis dicent, hic Præteritum eſſe loco Futuri certitudinis cauſa, ut ita ſignificetur: *omnino, certo certius videbunt.* At nondum obſervatum, vel ſaltem evictum

vidi,

vidi, hoc modo Hebræos ſuum Præteritum Futuri loco uſurpare in Tempore aliquo definito. Alii vero contendent, hic Vav Præteriti, licet non immediate præfigatur, tamen vim ſuam converſivam exerere. Ut dicam; quod mihi videtur, nondum plane perſuaſus ſum, hoc Præteritum Futuro Tempore eſſe vertendum. Cl. Coccejus ראו Præterito vertit. Si vero vel maxime agnoſcendum ſit, hoc Præteritum Futuro Tempore eſſe reddendum; adeoque hic aliisque citatis locis Vav Præteriti ſuam *Converſivam*, ſeu potius *relativam* vim exercere, licet non immediate Præterito præfixum, forte hac in parte obſervanda erit quædam licentia poëtica, vel ſi mavis, ſingularis quidam idiotismus Styli Metrici: quum mihi nondum ſimilis quædam conſtructio Præteriti in Libris Proſaïcis occurrerit, nec ab aliis notatam viderim.

§. XII.

De uſu Temporis Præteriti in Prophetiis.

Tandem vero hic mihi aliquid dicendum erit de uſu Præteriti in Stylo Prophetico. Satis antiqua eſt traditio, quæque communem fere conſenſum atque applauſum plerisque Grammaticis ac Interpretibus mereri viſa fuit; nimirum *uſitatiſſimum eſſe idiotismum Styli Prophetici, Præteritum loco Futuri ponere; idque*, uti ferunt, *ad rei certitudinem indicandam.* Nihil fere ſolennius eſt Pagnino, Glasſio, Hakſpanio, aliisque Grammaticis & Interpretibus hocce commento. Egregium ſane aſylum Interpretibus, quibus hoc modo nullibi hæſitandi ratio reſidua manet: ſi forte quo-

quodam Præterito urantur, mox huc tanquam ad ſacram anchoram confugimus; atque ſic omnis ulterius in genuinam Linguæ indolem inquirendi occaſio vel negligitur, vel plane abſcinditur. Hinc factum eſt, ut hac regula admiſſa, miram inconſtantiam, atque Temporum Futurorum & Præteritorum perpetuam fere confuſionem apud Interpretes offendas, ſæpe quaſi pro mero lubitu Præteritum quoddam vel Præterito vel Futuro Tempore vertentes; adeo ut nihil fere certi ratione Temporum in Scriptis Propheticis nobis reſiduum manſerit. Mirabitur ſane quisque, & fere obſtupeſcet, ſi variantes, & omnino diverſas hac in parte Interpretum verſiones obſervet ac conferat; atque hic plus quam Babelicam confuſionem ratione Temporum offendet, interdum hanc ſuam Regulam Hermeneuticam obſervantium, mox eam iterum deſerentium: quod niſi brevior eſſe vellem, inſigni Exemplorum copia demonſtrare facile mihi foret. Si vero hæc, quæ leviter tantum tango, non prorſus diſpliceant, Deusque vitam viresque largiatur, forte alia occaſione, quæ de Stylo Verbi Prophetici, ejusque Analogia ad illuſtrationem & vindicationem variarum partium Verbi Prophetici obſervavi, publico examini vel uſui tradam.

Poſtquam vero nobis jam major lux adfulſit in interpretandis Prophetarum Scriptis, hæcce Regula Hermeneutica ut maleſana & noxia, atque ex ignorantia Styli Prophetici orta rejici cœpit. Quod vero ut ratio hujus

qualiſcunque Præteriti pro Futuro Enallages proferri ſolet, *id fieri ad rei certitudinem eo ſignificantius declarandam*, id omnino gratis, & citra omnem veri ſpeciem adſeritur, neque ulla ſatis idonea ratione uspiam probatum vidi. Merito hic cum Ven. de Bruin Diſſ. Laud. pag. 80. rogare licebit: num res in Prophetiis Futuro Tempore prædictæ minus certæ ſint iis, quæ verbis Præteriti Temporis vaticinati ſunt Prophetæ, vel an ut minus certæ proponantur?

Hoc facile concedimus, ſæpe res futuras ſecundum conſuetum Prophetiarum Stylum ut jam præſentes, vel jam factas aut præteritas nobis repræſentari; negamus vero, id ſimpliciter fieri certitudinis cauſa, idque in oppoſitione earum rerum, quæ Futuro Tempore proponuntur: ſimul etiam negamus, in eodem quodam Sermone res ejusdem temporis, ſeu res futuras modo Futuro, mox iterum Præterito Tempore narrari.

Hæc vero propria & genuina hujus rei ratio eſt, quod & a Ven. de Bruin, aliisque Viris in Verbo Prophetico exercitatiſſimis notatum video: quod res futuræ ſæpe Prophetis revelatæ ſint a Deo, ſive in Somnio, ſive in Viſione quadam, quo ipſo res futuræ ipſis ut præſentes vel jam factas tanquam in Scena vel tabula picta repræſentabantur; quodque tunc eas eodem plane modo, prout ipſis oblatæ erant, veluti in ſcena quadam ſeu imagine populo annuntiaverint, vel ſcriptis mandaverint: adeo ut paſſim Prophetiæ ita diſpoſitæ & nobis traditæ ſint, ut tanquam

quam in imagine ſeu theatro nobis res futuras ut præſentes vel jam factas contemplandas ſiſtant. Hinc omnino ſequitur, ſi variæ res, ſeu variarum rerum Syſtema in una quaſi imagine ſeu ſcena nobis repræſententur, quarum aliæ ut præſentes, aliæ ut jam præteritæ, quædam vero ut adhuc futuræ obveniunt, quod omnes hæ res, quæque in ſuo tempore, idque in mutua ad ſe invicem relatione ſpectandæ ſint: quum in re futura commode alteram rem altera vel priorem vel poſteriorem conſiderare liceat; atque hoc ipſum differentiam rerum vel præſentium, vel Præteritarum vel Futurarum in Prophetia ſeu Scena Prophetica docet & commonſtrat: adeoque tempus Scenæ Propheticæ proprie in tali temporis momento figendum erit, quod ut præſens ſiſtitur, ſeu intermedium inter Præteritum & Futurum: Utinam hac in parte Interpretes tempora ſemper obſervaſſent, & ſui ſimiles ſe præſtitiſſent; atque ita nobis etiam in Vernaculis Linguis Scenam Propheticam immaculate repræſentaſſent. Hæc Exemplis illuſtrare, atque in variis partibus Verbi Prophetici eam, quam dixi, Scenam Propheticam obſervare, rite diſponere aut vindicare ſciens prætereo, ut brevitati ſtudeam: præſertim quum hæc res a Cll. Viris Tillio, Alphenio, aliisque jam comprobata & illuſtrata ſit.

Verum hic omnino obſervandum duco, id ſæpius quidem, at non ſemper fieri, ut res futuræ nobis tanquam in Scena ſeu Theatro a Prophetis ut jam præſentes & quaſi oculis

contemplandæ repræſententur: Verum ſæpe fit, ut Stylus Propheticus hac in parte ſit ſimplicior, adeo ut res futuræ nobis ut futuræ, & futuro tempore expreſſæ prædicantur; quod paſſim vel ex exordio Concionis alicujus Propheticæ, vel ex toto ejus argumento facile dignoſci poterit, præſertim ſi ſubjectum Prophetiæ ſatis ſit exploratum. Sic ex. gr. ſi quis conferat Concionem Propheticam, quæ exſtat Jeſ. XI. cum ea, quæ eſt Jeſ. LIII. facile hanc Styli Prophetici differentiam obſervabit: quum in priori Concione res futuræ continuo Futuro Tempore ſignificentur; in poſteriori vero res futuræ ut præſentes vel jam factas tanquam in Scena ſeu Theatro nobis obveniant.

Hinc jam ſequitur, ſi Prophetiæ Stylo ſimplici ſint conſignatæ, adeo ut futura tanquam futura enarrentur, vel prædicantur, quod in talibus Concionibus Propheticis raro Tempora Præterita occurrant; niſi interdum res quæpiam præterita rei illuſtrandæ aut confirmandæ cauſa enarretur, vel quoddam Præteritum ſeu antecedens ratione alius cujusdam rei futuræ occurrat, quodque tunc Futuro Subjunctivo Latinorum, vel Futuro Exacto reddendum erit; vel interdum in illo Futuro Tempore perſona quædam loquens introducatur; ubi adeoque per ellipſin deſit לאמור vel יאמר aut יאמרו ſi non expreſſis Verbis tale quid addatur: quod facile productis exemplis illuſtrari, atque probari poſſet.

De-

Dolenda ſane, præſertim etiam hac in parte licentia Interpretum, quod ubi inter tot Futura unum aliquod Præteritum offenderent, id ſtatim, ſine ulla, ut videtur, ulteriori indagine, pro Futuro reputaverint, atque ſic reddiderint. Me vero quod attinet, potius ingenue fatebor, ſenſum loci mihi nondum ſatis liquere, quam ut ad tam inane aſylum confugiam, *de quacunque Temporum*, vel maxime *de Præteriti loco Futuri in Propheticis Enallage.*

Hæc quæ dico uno alteroque exemplo illuſtrare atque vindicare lubet.

Jes. XI. 8. ושעשע יונק על הר פתן ועל מאורת צפעוני גמול ידו הדה: *Et oblectabit ſe lactens ſuper cavernam aspidis, & a lacte depulſus in ſpeluncam baſiliſci manum ſuam immiſit.* Hic Præteritum הדה occurrit inter tot Futura, vel ſaltem inter Præterita cum Vavvis ſuis Relativis, quæ ob præcedentia Futura Futuri vices gerunt: nemo tamen hic facile dixerit, hoc Præteritum Futuri loco poſitum eſſe ob rei certitudinem, aut quod ו in initio hujus hemiſtichii hic exereret vim ſuam converſivam aut relativam, quum non immediate Præterito præfixum eſt, quod nondum ſatis probatum vidi: interim tamen ſatis conſtat de re futura hic agi, non minus ac in priori hemiſtichio. Videtur mihi, Præteritum הדה hic eſſe Præteritum in re futura, & Futuro Subjunctivi vertendum; atque ſermonem quodammodo ellipticum eſſe, hoc fere modo ſupplendum ולא ירע לו atque adeo Jeſ. XI 8.

deo hoc modo hæc verba redderem : *& ſi immiſerit manum ſuam in ſpeluncam baſiliſci, nihil tamen ei nocebit.* Quale ſupplementum hic res ipſa ſatis poſtulat. Quod vero ſæpe Hebræi, qui proprie Temporibus Relativis deſtituuntur, ſuo Præterito utantur pro Præterito ſeu antecedenti quodam reſpectu alius Temporis Futuri, vidimus ſupra § VII, VIII. ubi eandem plane Præteriti conſtructionem obſervavimus ad Jud. IX. 9.

Jeſ. XI. 9. Jes. XI. 9. Hoc commate ſimilis fere Præteriti conſtructio obſervanda venit, ubi prædicitur: *non malo adficient, neque corrumpent in toto monte ſanctitatis meæ* כי מלאה הארץ דעה את יהוה Quæ verba ſic vertenda cenſeo: *quando* vel *quoniam impleta fuerit terra cognitione Jehovæ.* Hoc modo *impletio terræ cognitione Jehovæ* hic ut cauſa vel ratio, adeoque ut prius ſeu antecedens quoddam venit ratione hujus promiſſionis, *quod non nocerent, aut perderent in toto monte Sanctitatis Jehovæ.* Atque adeo & hic vere Præteritum Relativum, ſeu Præteritum reſpectu alicujus rei futuræ obſervandum erit.

Jeſ. XIII. 10. Idem Præteriti uſus mihi obvenit Jes. XIII. 10. חשך השמש בצאתו Proprie, *obſcuratus fuit Sol in ortu ſuo.* Hic de re futura agi mihi extra omne dubium poſitum eſſe videtur, ſi conferantur præcedentia & ſequentia hujus commatis; & tamen hic nihil occurrit niſi unicum Præteritum. Interpretes rem magis, quam Hebræam conſtructionem attendentes, Præteritum חשך Futuro reddunt. Ut propius

pius paullulum indolem conſtructionis Hebraïcæ ſignificem, hoc modo hæc verba verterem: *quando orietur Sol, obſcuratus erit.* Infinitivus cum ב conſtructus interdum inſervit Præterito, interdum Futuro Tempori ſignificando, quod ex additis Verbis vel Præteriti vel Futuri Temporis dignoſcendum, uti infra ſuo loco videbimus. Adeoque hic, quia Tempora Futura præcedunt & ſequuntur, בצאתו Tempus Futurum reſpiciet, atque optimo jure verti poterit: *quando orietur.* In relatione vero ad hoc Futurum Tempus, quod latet in voce בצאתו hic Præteritum חשך ut Præteritum quoddam venit: adeoque hic ſignificabitur, quod eo ipſo temporis articulo, quando Sol oriretur, obſcuratio Solis jam accidiſſet, ſeu quod tunc jam foret res quædam facta aut præterita.

Jerm. XXXI. 5. נטעו נטעים וחללו Dici non poterit Præteritum נטעו hic venire loco Futuri ob Scenam Propheticam, quum eadem res in priori hemiſtichio Futuro Tempore prædicatur, uti etiam vs. 4. Omnino & hic mihi videtur Præteritum in re futura obſervandum, atque ex conſueto Linguæ idiotiſmo ſupplendum Particulam כי adeoque ſic hæc verba redderem: *plantatores quando plantaverint, etiam in ſuum uſum fructus decerpent.* Conferri velim quæ jam ſupra ad hunc locum notavi. §. VIII. Jerm. XXXI. 5.

Idem plane obſervandum ejusdem hujus Capitis Verſu 11, 12. ubi hæc ſunt verba Jerm. XXXI. 11, 12.
כי פדה יהוה את יעקב וגאלו מיד חזק ממנו:

ממנו: ובאו ורננו במרום ציון וגו Quæ Verba hoc modo vertenda cenſeo: *quando redemerit Jehovah Jacobum, & vindicaverit eum e manu ejus, qui fortior eſt ipſo: tunc venient, & cantabunt in excelſo Zionis.* Rationes hujus verſionis mihi hæ ſunt: Primo, quia hic ea redemtio & adſertio Jacobi vere ut res adhuc futura ſpectanda venit, neque hic cum ratione dici poterit, hanc rem hic ut jam factam aut præteritam in Scena quadam repræſentari. Secundo, ſi Præteritum פדה hic Præterito Abſoluto vertitur, nulla erit ratio, quam ob rem Præteritum cum Vav Relativo ובאו Futuro Tempori inſerviat; quod ex Linguæ idiotismo non fit poſt Præteritum Abſolutum; Verum tantum poſt præcedens aliquod Futurum, aut Præteritum in re futura: uti ſupra indicavimus §. IX, X.

Joël II, 20-III. Singularem attentionem hic meretur Joël II. 20—III. Hæc pericopa Prophetica pasſim Verbis Futuri Temporis proponitur, vel Præteritis cum Vav Relativo, quæ ob Futura præcedentia Futuri notionem induunt: atqui inter tot Futura hic quædam occurrunt Præterita, circa quæ Interpretes pasſim hallucinantes videas; uti varias easque plane diverſas Interpretum opiniones ac verſiones collectas videre licet apud Pocockium ad h. l. Ex quibus ſatis elici poterit, hunc locum vere crucem fuiſſe Interpretum.

Primum Præteritum occurrit in fine vs. 20. ubi poſt rem futuram Verbis Futuri Temporis ſignatam additur כי הגדיל לעשות

Quæ

Quæ verba Futuro Subjunctivo Latinorum reddenda cenſeo, adeo ut hic præteritum quid in re futura ſignificetur, hoc fere modo: *quando [Jehovah] magna patraverit*, vel *quando magnificaverit faciendo.* Præſenti Tempore cum Junio & Tremellio, aliisque non commode vertitur hic locus: tunc enim maxime continuum quid ſignificaretur, vel quod Deus ſemper facere ſoleat. At vero nexus cum præcedentibus magis mihi ſuadet, ut hic de Tempore Definito cogitem. Futuro Tempore nequaquam vertam, quum nullibi tam vituperandam anomaliam agnoſcam. Præterito Indicativi hæc vertere, adeo ut Tempus abſolute Præteritum ſignificaretur, non videtur cum præcedentibus ſatis cohærere. Nihil igitur fere reſtat, niſi ut Futuro Subjunctivi vertam, quod & commodiſſimum pariet ſenſum: promittit hic enim Deus, ſe hoſtes procul remoturum a populo ſuo, eosque exſtirpaturum. Jam additur illuſtrationis vel confirmationis cauſa, hoc eo temporis factum iri, *quando Jehovah magnificaverit faciendo.*

Alterum Præteritum obvenit vs. 21. ubi hæc ſunt verba אל תיראי אדמה גילי ושמחי כי הגדיל יהוה לעשות Quæ verba eandem fere ob rationem hoc modo reddo: *ne timeas terra; exſulta atque lætare, quando Jehovah magna fecerit.* Nam etiam hic de re futura agi, ſatis liquet, adeoque & הגדיל hic erit Præteritum quoddam in illa re futura.

Verſu 22. etiam in eadem re futura tria

occurrunt Præterita, quæ eandem ob rationem eodem modo Futuro Subjunctivi verto: nam ſimilium ſimilis eſt ratio: *ne timeatis beſtiæ agrorum meorum; quando herbas protulerint habitacula deſerti: quando arbor protulerit fructum ſuum, ficus & vitis ediderint vim ſuam.*

Idem hic Præteriti uſus obſervatur vs. 23. uti & vs. 26. in his Verbis: אשר עשה עמכם להפליא *qui fecerit vobiscum mirifice.* Ubi etiam Junius & Tremellius hunc Præteriti uſum obſervant, vertentes: *quod ſe geſſerit erga vos mirifice.*

Plura loca hic non addo.

A N A-

ANALOGIÆ TEMPORUM ET MODORUM HEBRÆAE LINGUÆ

DISSERTATIO TERTIA.

Quæ varium eumque Analogum uſum FUTURI *Hebræorum explicat.*

§. I.

Si obſervationes Grammaticorum, nimiamque qua paſſim uſi ſunt Interpretes, tam Veteres, quam Recentiores licentiam attendimus, fere ambigere liceret, an *Futurum* Hebræorum revera Futurum ſit, hoc eſt, an ea vere ſit vis ac poteſtas hujus formæ Grammaticæ, quam Futurum dicimus, ut proprie & ſua nativa vi Futurum Tempus denotet: quum tamen id ſatis tuto creditur, atque unanimi Grammaticorum conſenſu comprobatur: At vero Anomaliarum ſeu Enallagarum numerus, quæ hic paſſim a Grammaticis & Interpretibus admittuntur, quasque acriter propugnant, ubi ſcilicet Futurum vel loco Præteriti, aut Præſentis, aut loco alius cujusdam Temporis veniat, omnem fere numerum ſuperat. Inſignem admodum catalogum hujusmodi Anomaliarum, præſertim, ubi Futurum loco Præteriti aut Præſentis poneretur, collegerunt hujus artis patroni

Frequentem admodum Futuri loco alius cujuscunque fere Temporis Enallagen ſtatuunt Grammatici.

Digitized by Google

troni Pagninus, & Glaſſius Lib. III. Gramm. Sacr. Tract. 3. Can. 49. * Verum eas omnes fere ſingulari judicio proſperoque ſucceſſu in ordinem redegit, inque iis Futuris Futuri notionem reſtituit Pl. Ven. de Bruin in Diſſ. ſæpius laud. pag. 144. & ſeqq.

Omnino largior, multa dari loca, in quibus Futurum Hebræum haudquaquam noſtro Vernaculo, Latino aut alio quodam Sermone Futuro Tempore verti queat. At nimis temere procedimus, ſi eo ipſo confeſtim Temporis Enallage ſtatuatur; obſervanda potius atque indaganda Hebrææ Linguæ ſingularis plane indoles, quæ non niſi Abſoluta Tempora agnoſcit, non vero Relativa, veluti Imperfectum & Plusquamperfectum, neque Modos Subjunctivum aut Optativum, uti aliæ pleræque Linguæ; ac proinde fere neceſſum habent Hebræi id, quod ratione præcedentis cujusdam temporis, ſeu relative Futurum eſt, licet abſolute ſpectatum vere ſit Præteritum; immo quod quocunque modo Futurum eſt, unico ſuo Futuro ſignificare. Sunt vero etiam He-

* Notatu digna hic mihi videntur verba Auguſtini Comment. in Pſ. CIV. cit. a Glaſſio l. l. ubi de Futuro Hebræo hæc teſtatur: *animadvertimus ſæpe Prophetas Præterito Tempore verborum dicere, quæ ventura ſunt: in figura autem Futuri dicere Præterita, non facile occurrit legenti. Non audeo dicere, non eſt; ſed certe Studioſis earum litterarum indixerim, quid quærent: Si invenerint, & ad nos attulerint, gratulabimur adoleſcentium ſtudiis occiſorum occupati ſenes, & ex eorum miniſterio & nos aliquid diſcimus.* Non meruerat ſane ob hæc dicta adeo a Glaſſio vapulare, & ignorantiæ Hebrææ Linguæ accuſari; quamvis cæteroquin ejus peritiam in Hebræa Lingua hic non inquiram.

Digitized by Google

Hebræi admodum Futuri amantes & obſervantes; adeo ut in tempore quodam continuato, quod & Præſens & Futurum ſimul includit, Futuro ament uti præ Præſenti, uti Exemplis mox ſubjiciendis patebit. Conferri hic poterunt, quæ ſupra Diſſ. I. §. V. & ſeqq. jam præmonuimus. Hac fere via ac methodo varium, at ſimul analogum uſum Futuri Hebræi in ſequentibus illuſtrare conabor; quo ipſo, uti ſpero, temere fictæ Futuri Temporis Anomaliæ ultro evaneſcent.

Hoc Tmemate exercitii cauſa, utque eo magis conſtans atque analogus uſus Futuri pateat, nonnulla loca illuſtrabo ac vindicabo, quæ paſſim ab Interpretibus vel Præſenti, vel Præterito Tempore vertuntur, quæque mihi inter legendum prima ſpecie obſcuri aut inſoliti quid habere viſa ſunt: quæ tamen propius inſpecta, vere Futurum Tempus; immo ſæpe Futurum Abſolutum indicant, quæque etiam commode ſatis Latino aut Vernaculo Sermone Futuro Tempore redduntur. Horum primus eſto

GEN. XXXII. 18. Ubi Jacobus ſervis ſuis, quos Eſavo fratri obviam emittebat, in mandatis dat, quid reſponderent, ſi occurrerent Eſavo, atque ipſe eos rogaret: למי אתה ואנה תלך *cujus es tu, & quo abibis?* Maxime hic Futurum תלך Præſenti vertitur. At vero minime hic neceſſe erit hujusmodi Enallagen admittere: fateor, Præſens Tempus hac interrogatione non omnino excluditur; at maxime tamen hic eſt interrogatio de re futura: nam hi nuntii hic nobis conſiderandi veniunt tan-

Gen. XXXII. 18.

tanquam adhuc in via progredientes; nec Eſavus ſcire poterat, quorſum tenderent.

Gen. XXXVII. 15. GEN. XXXVII. 15. Vir quidam Joſephum in agro oberrantem inveniens, ipſum rogat מה תבקש *quid quæres?* Eodem modo etiam hac interrogatione maxime Futurum Tempus reſpicitur, quod nemo non videt: licet etiam facile conceſſerim, neque hic Præſens Tempus plane excludi poſſe; adeoque in hac interrogatione, uti & loco præcedenti, Præſens & Futurum Tempus ſimul latent. An igitur majori jure Hebræis hic Enallages crimen imputabitur, ſi Futuro utantur, quam nobis aut Latinis, ſi Præſenti? utrumque fit ſatis analogice: maxime hic cujusque Linguæ proprius Genius obſervandus. Conferri hic merentur, quæ Diſſ. I. § XI. Num. 2. & §. XIII. Num. 5. jam præmonui. Locus huic plane parallelus exſtat 2 Reg. VI. 19.

Exod. XI. 7. EXOD. XI. 7. Poſtquam vs. 5, 6. Moſes nomine Dei dixerat, *Jehovam tranſiturum per Ægyptum, & occiſurum omnes primogenitos in terra Ægypti; atque ingentem fore clamorem per totam terram Ægypti, at vero tranquillos fore filios Israëlis*, hæc adduntur למען תדעון אשר יפלה יהוה בין מצרים ובין ישראל Quæ verba hoc modo Futuro Tempore vertenda eſſe contendo: *ut ſciatis, quod Jehovah diſtinctionem facturus ſit inter Ægyptios, & inter Israëlem.* Quidam Interpretes Futurum יפלה Præſenti vel Præterito Tempore vertunt; eam, ut videtur, ob rationem, quod Deus etiam aliis præcedentibus prodigiis inſignem jam poſuerat diſtinctionem inter Ægyptios &

& Iſraëlitas; uti jam narratum fuit Exod. VIII. 21, 22, 23. Verum licet hoc omnino conceſſerim, tamen Futurum Tempus, quod Verbo יפלה indicatur, hic nos docet, de re futura agi, atque ſignificari, Deum maxime ultimo hoc prodigio, quod adhuc futurum erat, nimirum occiſione primogenitorum, inſigni modo diſtinctionem facturum inter Ægyptios & Iſraëlitas. LXX. Interpretes hic Futurum Tempus obſervarunt, quando Futurum יפלה vertunt παραδοξάσει. At in M. S. Oxonienſi in Præſenti legitur παραδοξάζει. Videntur mihi pro יפלה perperam legiſſe יפליא.

Jos. IX. 8. Joſua Legatos Hevitarum ſeu Gibeonitarum ad ipſum venientes hoc modo rogat מי אתם ומאין תבאו *Quinam vos eſtis, & unde venturi eſtis?* Eſt locus primo intuitu ſatis difficilis ratione Futuri תבאו quod ab interpretibus forte omnibus Præſenti vel Præterito Tempore redditur. At quantum mihi videre licet, hic quidem minime neceſſe erit, Enallagen Futuri pro Præterito aut Præſenti admittere. Sane hi Legati ad Joſuam venientes perſonam gerunt totius Gentis Gibeonitarum; eoque nomine eos compellare mihi videtur Joſua, atque maxime eam ipſius fuiſſe intentionem, ut inquireret, cujusnam Gentis Legati forent. Initio hujus Commatis hi Legati nomine totius populi loquentes, ſe ut Servos Joſuæ, Populoque Iſraëlitico ſubjecerant, uti etiam vs. 11. Si vero hi Legati nomine totius ſuæ Gentis ſe ut Servos Populo Iſraëlitico offerant, Joſ. IX. 8.

quum-

quumque, uti præferebant, Gens eſſent admodum longe diſſita, quod hactenus a Joſua Populoque Israëlitico credebatur, neceſſe etiam erat, ut totus hic populus e terra ſua emigrarent, Populoque Israëlitico cohabitarent. Hac mente videtur mihi Joſua hoſce Legatos rogaſſe: *quinam vos eſtis, & unde venturi eſtis?* Adeo ut Futuro Tempore, quod latet in voce תבאו maxime reſpexerit Joſua ad futuram totius Gentis Gibeonitarum transmigrationem & cohabitationem cum Populo Israëlitico. Si vero hæc non arrideant, maxime quia V. ſeq. hi Legati hoc modo Præterito Tempore reſpondent: *e terra longe remota* באו עבדיך *venerunt ſervi tui*: hic dici poterit, in verbis מאין תבאו ineſſe quandam brachylogiam, pro qua plene diceretur מאין יצאתם ותבאו הנה *unde egreſſi eſtis, atque huc adveniſtis?* Hoc modo hic in תבאו latebit Futurum Relativum, ſeu poſterius quoddam ratione alicujus Temporis Præteriti præcedentis *. De hujusmodi figura Rhetorica, quam *Syllepſin* aut *Brachylogiam* vocant, ſimili fere in interrogatione, mox uberius dicemus ad Jeſ. XXXIX. 3.

Jud. XVII. 9. JUD. XVII. 9. Micha hic Levitam peregrinantem hoc modo interrogat: מאין תבוא Hic eodem modo Futurum תבוא paſſim Præſenti Tempore redditur; *unde venis?* Verum hoc modo neque Futuri poteſtas ſervatur; nec, ut mihi videtur, omne id, quod in hac

* De hoc uſu Futuri Hebræi, etiam quando Vav vulgo converſivo dicto ſignatur, dicemus §. II & III.

Digitized by Google

hac interrogatione latet, ſatis exprimitur. Micham hic duo ſimul interrogare putem; non ſolum unde veniret, verum etiam quo proficiſceretur: quod mihi ex toto hujus hiſtoriæ contextu ſatis liquet: nam hic Levita ulterius procedere decreverat, donec commodum ſibi locum inveniret, ut vs. præced. dicitur, quod & facile animadvertere poterat Micha. Præterea duo hæc ſimul hac interrogatione includi patere poteſt ex duplici Levitæ reſponſo; quum dicat non tantum, unde venerat, nimirum ex Bethlehem Jehudæ, ſed ſimul etiam quo aditurus erat; ſcilicet quocunque inveniret commodum peregrinandi locum. Adeoque putem, particula מאין maxime interrogari de loco, unde venerat; at vero Futuro תבוא de loco, quo tendebat, aut proficiſcebatur: nam בוא proprie ſignificat *adire* vel *ingredi aliquem locum*, uti contra יצא *exire* vel *egredi e quodam loco*. Quod hic ut ſatis notum probare omitto. Itaque vi duplicis hujusmodi interrogationis, ſervataque ſimul ſignificatione Futuri Temporis; hoc modo hunc locum verterem: *unde veniens abibis?* vel *unde veniſti, & quo abibis?*

Eodem plane modo hæc duo ſimul in ſimili interrogatione obſervanda Jon. I. 8. ubi Jonam rogant מאין תבוא ubi eandem fere ob rationem hæc verba ſic reddo: *dic nobis, unde veneris, & quo aditurus ſis.* Hic iterum τὸ *venire ad locum ſibi propoſitum* adhucdum erat futurum quid. Jon. I. 8.

At plus difficultatis eo ineſſe videtur, ſi quis jam ad locum ſibi propoſitum pervene-

rit, & tamen Futuro Tempore quæratur מאין תבוא Hoc modo hæc verba veniunt
Jeſ. JES. XXXIX. 3. ubi Jeſaïas de Legatis
XXXIX. 3. Regis Babelis Hiskiam rogat: מה אמרו האנשים האלה ומאין יבאו אליך *quid dixerunt hi viri, & unde ad te venerunt?* coll. 2 Reg. XX. 14. ubi eadem plane occurrunt verba. Prorſus concedo ex indole & uſu Latinæ aut Vernaculæ Linguæ Futurum יבאו Præterito Tempore eſſe vertendum: nam de re abſolute præterita hic ſermo eſt, uti ex præcedentibus ſatis liquet, ſic & Hiskias vs. ſeq. de his Regis Babyloniæ Legatis Præterito Tempore dicit באו אלי *venerunt ad me.* Videtur mihi tamen, hic vere Futuri quid obſervari poſſe; nimirum Futurum quoddam Relativum, ſeu tale Tempus, quod licet abſolute ſpectatum jam præteritum ſit, tamen in relatione ad præcedens Tempus poſterius quid, adeoque Futurum eſt. De quo videnda, quæ Diſſ. I. §. 7. jam obſervavimus. Hebræis vero in more poſitum eſſe, tale Tempus ſæpe ſuo Futuro indicare, §. II. & III. probare annitar. Ad præcedentem locum jam obſervavimus, duo ſimul hac interrogatione ſignificari, non ſolum *unde venerint*, verum etiam *quo adierint*: adeoque hæc interrogatio erit ſpecies Syllepſeos vel Brachylogiæ *, cujus loco plene diceretur מאין

* Huſusmodi Figura Grammatica Hebræis admodum eſt uſitata. Vid. Glaſſium Lib. III. Gramm. Sacr. Tract. 3. Can. 2. & Arn. Bootium Lib. I. Animadv. Cap. X. §. 3. qui & ex Profanis Græcis & Latinis Scriptoribus hujus Figuræ exempla profert: cui adde Gatakerum Adverſ. Poſt. Cap 31. Caſaubon. ad Theophraſti Charact. Cap. V. & Elsnerum ad Act. VII. 9.

Digitized by Google

מאין יצאו ויבאו אליך *unde venerunt*, *& ingreſſi ſunt ad te*? Hic jam יבאו quatenus ſignificat adventum ad propoſitum ſibi locum, poſterius quid, adeoque futurum eſt ratione egreſſus e ſuo loco. Hæc quæ dico, clariora & probabiliora fient ex iis, quæ §. ſeq. obſervabimus.

Idem prorſus uſus Verbi בוא in ſimili interrogatione obſervari poterit his locis 2 Sam. I. 3. Job I. 7. II. 2. Ex quorum locorum collatione ſatis elici poteſt, hic non eſſe quendam Solæcismum aut ἀκυρολογίαν, ſed conſuetam atque conſtantem eſſe indolem Hebrææ Linguæ, hoc modo Futurum Verbi בוא uſurpare.

1 Sam. I. 8. Elkana uxorem ſuam Channam hoc modo compellat למה תבכי ולמה לא תאכלי ולמה ירע לבבך׃ LXX Interpretes, Junius & Tremellius, Genevenſes & Belgæ omnia hæc Futura Præſenti Tempore reddunt, hoc ſenſu: *quare fles*, *& quare non comedis*, *& quare male ſe habet animus tuus?* Atqui, ut dicam quod mihi videtur, hoc modo non rite exprimitur mens hujus loci: hic enim non eſt ſimplex interrogatio de cauſa fletus, & quare non comederet, aut quare triſtis eſſet Channah; Elkanah enim cauſam fletus ſatis noverat: nam mox addit, antequam Channah rationem dixerat: *nonne ego melior tibi ſum decem liberis*? Hoc ſi voluiſſet Elkanah, ut tantum cauſam fletus ſciret, quare non Præſenti Tempore loquutus fuiſſet? uti aliquando Chazaël Prophetæ Eliſæ dicebat, quando rationem fletus non nove- 1 Sam. I. 8.

rat: מדוע אדני בכה *quare flet Dominus meus?* 2 Reg. VIII. 12. Hujusmodi vero interrogationes maxime dehortationi aut increpationi inſerviunt; adeoque Futurum Tempus vere reſpiciunt. Proinde hoc modo Imperfectis Subjunctivi, quæ ſaltem hac in parte Futurum Tempus indicant, hunc locum reddo: *quare fleres, & quare non comederes, & quare triſtis foret animus tuus?* Quod ad rem idem eſt, acſi dicat: *nulla tibi ſatis ſolida cauſa flendi eſt*; vel *ne amplius fleto.* Similes interrogationes ope Futuri Temporis, quæ maxime vel dehortationi vel increpationi inſerviunt,

1 Sam. II. 23, 29. ſæpius obſervantur, 1 SAM. II. 23. Ubi his verbis Eli ſuos filios objurgat, atque a malo dehortatur: למה תעשון כדברים האלה *Quare faceretis hujusmodi res?* Uti & vs. 29. למה תבעטו בזבחי ובמנחתי *Quare recalcitraretis in Sacrificium meum, & munus meum?* Sane hi loci non commode habentur ut ſimplices interrogationes de re præterita, ſusque deque habita vi Temporis Futuri; ſunt vero maxime increpationes vel dehortationes, quæ Futurum Tempus reſpiciunt. Conferri hic præterea merentur hæc loca 1 Sam. XVII. 8. XXIV. 10. XXVIII. 16. Pſ. X. 1. Ruth I 21.

Jud. IX. 38. JUD. IX. 38. Hic Zebul Gahali hæc dicit איה אפוא פיך אשר תאמר מי אבימלך כי נעבדנו *Ubi nunc os tuum, quo dicebas: quis Abimelech, ut ei ſerviamus?* Sic fere Interpretes Futurum תאמר Præterito Imperfecto vertunt. LXX vero Aor. I. ὡς ἐλάλησας. Hoc ſatis ferri poſſet, ſi Futurum hic ἀοριστῶς ſumatur; nimirum pro eo, quod ſæpius, con-

continuo & quavis occaſione dixerat Gahal, ſeu dicere ſolebat; uti ſuo loco hunc Futuri uſum indicabimus, atque ad Analogiam reducemus. At forte commodius hic propria Futuri ſignificatio retinetur, hoc modo vertendo: *Ubi nunc os tuum? quod, vel ut dicat jam: quis Abimelech, ut ei ſerviamus?* Scilicet uti antea ſæpius effutire ſolebat. Hoc modo Præſenti Subjunctivi hic vere Futurum Tempus ſignificabitur. Similem uſum Particulæ אשר ut Latine per *quod* aut *ut* vertenda ſit, Vide Gen. XI. 7. Deut. IV. 40. 2 Reg. IX. 37. Plura Exempla dabit Noldius in Concord. Part.

2 Sam. III. 33. Hic locus inter alia a Glaſ- 2 Sam. III. 33.
ſio l. l. adducitur ad probandam facilem & frequentem Futuri loco Præteriti Enallagen, ubi David, occiſo jam Abnero, hoc Futuro Tempore dicit: הכמות נבל ימות אבנר Quæ verba hoc modo vertit: *an ſecundum mortem ſtulti moriretur Abner*, h. e. *mortuus eſt?* Omnino largior, mortem Abneri jam tunc temporis fuiſſe rem præteritam: atqui hic non adeo conſiderandum venit tempus mortis ipſius abſolute, ſeu in ſe ſpectatæ; verum mors ejus ut mors ſtulti, ſeu vilis cujusdam hominis, quam non admodum curamus, quæque non variis luctus indiciis, aliove modo celebratur. Atque in eo vere hic futurum quid obſervandum: nam Rex tunc demonſtrabat, & porro demonſtraturus erat, quod non homo quidam abjectæ ſortis, ſed vir in Israële vere magnus mortuus fuerat. Id vero jam demonſtraverat ſua in Joabum

maledictione & indictione luctus vs. 28—33. idque porro demonſtraturus erat ſuo planctu, jejunio, aliisque indiciis vs. 33—39. Adeoque Imperfecto Subjunctivi hoc dictum Davidis apte vertitur, quo Futurum illud, quod ex mente Davidis hic latet, ſatis ſignificatur, hoc modo: *an ſecundum mortem ſtulti moriretur Abner?* LXX. hic Futurum Tempus obſervant, quando Fut. 2 Med. reddunt εἰ κατὰ τὸν θάνατον Νάβαλ ἀποθανεῖται Ἀβεννήρ;

2 Reg. XIX. 4. Eodem ferme jure Glaſſius Enallagen Futuri pro Præterito obſervare potuerat 2 Reg. XIX. 4. Ubi hæc Hiskias אולי ישמע יהוה אלהיך את כל דברי רבשקה *Forte audiet Jehovah Deus tuus omnia verba Rabſakis.* Quum utique Deus ſecundum perfectiſſimam ſuam omniſcientiam omnia hæc verba jam audiverat. At facile quivis animadvertit, hic non agi de ſimplici quadam auditione vel cognitione verborum Rabſakis; verum de tali auditione, ut ſimul Deus illuſtri quodam modo oſtendat, ſe audiviſſe blasphemias Rabſakis, ipſum objurgando, gravibus plagis adfligendo, atque in gloriam nominis ſui Populum ſuum liberando. Hoc vero ut demum futurum quid hic ſpectat Hiskias, & futurum ſperat precibus Jeſaïæ.

1 Reg. XXII. 8. 1 Reg. XXII. 8. Achab hic de Propheta Micha teſtatur: ואני שנאתיו כי לא יתנבא עלי טוב כי אם רע *Ego vero odi eum, quia non prophetabit de me bonum, ſed malum.* Plerique Interpretes hic Futurum יתנבא Præſenti Tempore reddunt: quod quidem eo nomine ſatis ferri poſſet, ſi Præſens Tempus hic

Digitized by Google

hic ἀοριστῶς ſumatur, ſcilicet pro eo, *quod continuo faciebat*, vel *facere ſolebat.* Hoc loco Hebræos ſuum Futurum ſæpe uſurpare, infra videbitur; atque hujusmodi Tempus Indefinitum ſæpiſſime facili opera in Futurum Tempus reſolvitur: Latini vero hic maxime ſuo Præſenti Tempore utuntur. Hoc modo hæc mens erit verborum Achabi: *non ſolet de me bonum quid prophetare, ſed malum.* Conferri hic meretur 2 Chron. XVIII. 7. ubi eadem res his verbis narratur כי איננו מתנבא עלי לטובה כי כל ימיו לרעה *Quia ille non eſt prophetans*, ſeu *quia ille non prophetat de me in bonum, ſed omnibus ſuis diebus in malum.* Ubi Participium מתנבא uti ſæpius alibi, de facto continuo aut ſolito dicitur. Quod videndum erit ſuo loco, ubi de Participio dicemus. Immo vocibus כל ימיו idem illud aperte ſatis ſignificatur. Verum non minori jure Futurum יתנבא Futuro Tempore hic reddi poterit: *non prophetabit de me bonum, ſed malum.* Nam Achab id experientia præcedentis temporis ſatis noverat, adeoque id reſpectu Futuri Temporis jure dicere poterat. Conferri in hanc rem meretur vs. 18. ubi Achab Joſaphato hæc dicit: *nonne tibi dixi?* לא יתנבא עלי טוב כי אם רע *non prophetabit de me bonum, ſed malum.*

2 Reg. XIX. 33. Jeſaïas Dei nomine de Rege Aſſyriæ hæc dicit: בדרך אשר יבוא בה ישוב Interpretes, quos videre licuit, omnes Futurum יבוא Præterito vertunt, hoc fere modo: *qua via venit, eadem revertetur.* Sic etiam explicat Abarbanel ad h. l. Omni- 2 Reg. XIX. 33.

no concedo, Regem Aſſyriæ tunc temporis, quo Jeſaïas hoc oraculum edebat, jam eo usque Hieroſolymam appropinquaſſe, ut propius accedere Deus ipſi non ſiverit: adeoque primo intuitu facile dicat quis, hic Futuro יבוא rem omni modo Præteritam ſignificari. Verum ſi hic fuerit ſenſus Divini Oraculi, potius Jeſaïas mihi dicturus videtur, אשר בא בה uti interpretatur hic Abarbanel. Quum vero hic Futurum יבוא adhibeat Jeſaïas, in eo etiam vere futurum quid latebit; nec putaverim, hic vi Futuri Temporis ſatisfieri, ſi Tempore Præterito vertatur. Obſervo itaque Regem Aſſyriæ appropinquaſſe jam tunc temporis Hieroſolymam, atqui non eo usque proceſſiſſe, quam quidem decreverat; cogitabat certe Hieroſolymam ingredi, eamque occupare; adeoque partem tantum viæ quaſi abſolverat, erat adhuc in via, ulterius progredi cogitans. Hoc obſervato putem, Futurum Verbi יבוא nos docere, hoc vel ſimili modo hæc verba vertenda eſſe: *via, qua ingreſſurus erat*, vel *qua ingredi Hieroſolymam cogitat, vel molitur, eadem revertetur.* Hoc modo Tempus, quod latet in Verbo יבוא ſaltem ex parte adhuc Futurum erit. Quod vero Verbum בוא proprie ſignificet *introïre* vel *ingredi in aliquem locum*, ſupra jam vidimus.

Jeſ. LIII. 12. Jes. LIII. 12. והוא חטא רבים נשא ולפשעים יפגיע Interpretes & Commentatores maxima parte hic in voce יפגיע Enallagen Futuri pro Præterito obſervant, atque hæc verba ſic fere reddunt: *Et ipſe peccatum multorum tulit, & pro transgreſſoribus interceſſit.*

Verum

Verum ab aliis jam obſervatum video, hic multo commodius retineri Futuri ſignificationem, atque maxime hic intelligendam interceſſionem Chriſti Sacerdotalem, qua ut Sacerdos perpetuus functurus erat, poſtquam in Cœlum ſublatus foret; quæque adeo Chriſti interceſſio apud Patrem ſuum maxima ex parte eo temporis, quod hic nobis Scena Prophetica repræſentat, ut futura contemplanda veniebat: adeoque hunc locum Futuro vertunt, hoc modo: *& pro transgreſſoribus intercedet:* Hæc uberius illuſtrata videas apud Joh. Cloppenburg. Oper. Theol. Tom. I. pag. 283, 284. & apud Cl. Alphenium in Libro Belgico, cui titulus Additamenta Proph. ad Petri 1. Epiſt. pag. 578.

Verum re propius inſpecta, videtur mihi ſatis commode, ſervato ſingulari genio Hebrææ Linguæ, hoc modo hæc verba verti poſſe: *Et ipſe peccatum multorum tulit, & dein interceſſit pro peccatoribus.* Hoc modo hic *Futurum Relativum* obſervandum erit, h. e. tale tempus, quod poſterius, adeoque futurum eſt ratione præcedentis temporis Præteriti, ſeu quod Futurum eſt in re Præterita. Hoc loco Hebræis uſitatiſſimum eſſe ſuum Futurum ponere, videbimus §. ſeq. Si jam Scena Prophetica ex argumento totius hujus Sermonis Prophetici, & Temporum Præteritorum ac Futurorum inter ſe collatione accurate obſervetur, incidimus in eum fere temporis articulum, quo Chriſtus jam aliquamdiu in gloriam ſublatus erat; & quando Chriſti Apoſtoli jam experti fuerant incredulitatem, & cordis duritiem Populi Judaïci; qualem

Scenam hic etiam figit Cl. Vitringa. Talis vero experientia, & acerba de ea querela Apoſtolorum ſaltem aliquod temporis ſpatium poſt Chriſti in Cœlum adſcenſum requirit: jam vero licet interceſſio Chriſti pro ſuis ſit continua, adeo ut ſit Sacerdos perpetuus, maxime tamen ea mihi videtur facta fuiſſe, poſtquam primum Chriſtus in Cœlum appulit, quandoque vi ſui ſanguinis a Patre petiit, ut Regnum ipſi deſtinatum ſibi a Patre daretur. Tunc temporis maxime Jehovah Pater ipſi dixit: *pete a me; & dabo Gentes in poſſeſſionem tuam.* Pſ. II. 8. Ex hiſce liquet, interceſſionem Chriſti pro ſuis in Cœlis pro ratione temporis, quod hic Scena Prophetica nobis exhibet, ut rem quodammodo jam præteritam conſiderari poſſe: adeoque ſecundum Linguæ genium Futurum יפגיע ſic verti poterit: *& dein pro peccatoribus interceſſit.*

Verum hiſce, quæ dixi de Scena hujus Sermonis Prophetici obſtare videntur ratione Temporum Futurorum duo præcedentia commata, nimirum 10 & 11. ubi ea, quæ ſecundum tempus hujus Scenæ præterita ſunt, tamen Futuro Tempore ponuntur. Hæc ſunt verba ויהוה חפץ דכאו החלי אם תשים וגו״ Verum obſervandum hiſce Commatibus juſtificari viam Jehovæ cum hoc juſto; quare quum plane inſons eſſet, & ſine ullo crimine, nihilominus tam diris paſſionibus fuerit traditus; utque hoc pacto ſcandalum crucis Chriſti tollatur, utpote qui non propter ſua, ſed ſuorum crimina talia paſſus erat. Eum in finem tota hæc res ab antecedenti ſeu

æter-

æterno Dei Patris beneplacito repetitur, qui hoc ita Sanctiſſime voluit & decrevit, ut hoc pacto promiſſum ſibi ſemen mereretur. Adeoque hunc locum ſic redderem: *At placuit Jehovæ ipſum conterere* [&] *infirmitatibus adfligere :* [*ea lege atque conditione,*] *ſi poneret anima ejus Sacrificium pro reatu, videret Semen, prolongaret dies ; & beneplacitum Jehovæ per manum ejus proſpere ſuccederet.* [*Sic dixit Jehovah ;* nimirum ex æterno ſuo beneplacito aut decreto] *propter laborem animæ ſuæ videbit* [*Semen* , &] *ſatiabitur : per ſuam cognitionem* [h. e. per ſuam perfectiſſimam obedientiam Legi Dei præſtitam] *Servus meus juſtus multis illis juſtitiæ cauſa erit*, [vel *juſtitiam, ſeu jus ad vitam merebitur*] *& iniquitates eorum ipſe portabit.*

Si jam velit quis, quod mihi ſane non videtur abſurdum, Jehovam Patrem eodem plane modo vs. 12. loquentem introduci, ac vs. 11. nimirum ex antecedenti ſuo beneplacito ac decreto, hoc modo vs. 12. reddi poterit: *idcirco diſpertiam ipſi in ſortem multos, & robuſtos ut prædam dividet : propterea quod profuderit animam ſuam in mortem, & cum peccatoribus numeratus fuerit; & ipſe multorum peccatum tulerit, & pro peccatoribus interceſſurus ſit.* Sic Præterita, quæ hoc verſu occurrunt reddo Futuro Subjunctivi, quod Præteritum in re futura ſignificat. Hoc modo ſæpe Hebræorum Præteritum uſurpari vidimus Diſſ. præced. §. VII, VIII. Ad hanc noſtram verſionem horum commatum illuſtrandam atque probandam hæc noto.

I. Quod ad conſtructionem Verbi חפץ

cum

cum nudo Infinitivo דכאו attinet; fateor חפץ paſſim poſt ſe habere Infinitivum cum ל conſtructum. At quid ni & hoc Verbum ſatis commode nudum Infinitivum ſibi jungere poſſet, æque ac interdum nudum nomen ſibi adjungit? quod alias uſitatius fit per ב. Nam Hebraïce æque dicitur חפץ צדק quam חפץ בצדק Nec prorſus præter hunc locum ſine exemplo eſt, חפץ cum nudo Infinitivo conſtrui. vid. Job XIII. 3.

II. הֶחֱלִי Paſſim habetur ut Præteritum Hiphil. Verbum hoc quandam habet anomaliam; nam quia eſt a חלה deberet eſſe in Præterito Hiphil הֶחֱלָה At videtur ſequi naturam Verbi חלא Jam vero terminale punctum Verborum Quieſcentium tertia א eodem modo ac in Verbis Perfectis, in Hiphil eſt Chirek longum, vel Tſeri: in Præterito quidem ſemper eſt Chirek longum; in Infinitivo vero Tſeri, at ſæpe etiam Chirek longum: obſervantibus id Grammaticis, Vid. Alting. Fund. Punct. Ling. Sanct. §. 119. Adeoque הַחֲלִי hic ſatis commode haberi poterit ut formæ Infinitivæ, quod hic per aſyndeton conjungitur cum דכאו Qualis figura in S. Codice frequentiſſima eſt. Sic vs. 11. ſine copula junguntur יראה ישבע Hoc modo longe aptius mihi fluere videtur oratio.

III. Quod ante verba vs. 10. *ſi poneret anima ejus ſacrificium* &c. Suppleam hæc verba: *ea lege aut conditione*, id nexus rerum, atque

atque ipſe conditionalis ſermo ſatis mihi ſuadere videbantur.

IV. Quod Futura vs. 10. Imperfecto Subjunctivi commode vertantur; quodque hic talia Imperfecta Subjunctivi vere Futurum Tempus ſignificent, ſeu quod ſint Futura Relativa, nemo, ut ſpero, facile mihi negabit. Conferri ea de re poterit Diſſ. I. §. IX.

V. Quod initio vs. 11. ſuppleam hæc verba: *ſic dixit Jehovah.* Hoc ſimiliave ſupplementa ſane multis in locis requiruntur, quod nemo non ſciat. Hic vero tale ſupplementum omnino neceſſarium eſt, quia Jehovah Deus Pater hoc Verſu ipſe loquens introducitur, de quo Commate præcedenti ſermo fuerat in tertia perſona. Quod vero potius hæc verba ſuppleam ante initium hujus Verſus, quam ante hæc verba: *propter ſuam cognitionem* &c. Id non tantum ipſa oratio, ſed & Accentuum auctoritas mihi ſuadere videbatur. Sic etiam Cl. Vitringa ab initio hujus Verſus Deum Patrem loquentem introducit.

VI. Verba בדעתו reddere *cognitione ſui*, h. e. *fide in ipſum*, hic mihi paullo duriusculum ac longius quæſitum videtur. Nemo neſcit, Verbum ידע ſæpiſſime in S. Codice dici non tantum *de ſimplici ſeu theoretica cognitione*; verum maxime de tali, *quæ conſiſtit in debita Dei agnitione, amore, atque obedientia mandatorum ejus.* Hoc modo hic per דעתו intelligo *perfectiſſimam Chriſti obedientiam Legi Divinæ præſtitam:* in ipſo enim quieſceret רוח דעת ויראת יהוה *Spiritus cognitionis, & timoris Jehovæ.* Jeſ. XI. 2. *Lex Dei erat in ipſius*

ipſius medio Pſ. XL. 9. Adeoque hic perfectiſſima Chriſti obedientia Deo ejusque Legi præſtita, quam Theologi *obedientiam Chriſti activam* dicere amant, hic ſiſtitur ut cauſa meritoria, qua juſtitiam, ſeu δικαίωμα ζωῆς multis mereretur. Hoc modo in Verbis ſequentibus ועונתם הוא יסבול *& iniquitates eorum ipſe bajulabit*, obedientia Chriſti paſſiva enarrabitur, qua ut Agnus Dei tulit & abſtulit peccata ſuorum, eosque a Legis maledictione atque æterna damnatione liberavit. Duriſſimum vero mihi eſt, quod Cl. Vitringa Futurum יסבול hic Præterito vertat, hoc modo: *Siquidem eorum peccata bajulavit.*

§. II.

Sæpe Hebræi ſuo Futuro utuntur loco Futuri in re præterita; ſeu loco Futuri Relativi.

Venio jam ad uſum *Futuri* Hebræorum prorſus ſingularem, quo nimirum uſurpatur loco *Futuri Relativi*; ſeu *ad tale Tempus deſignandum, quod abſolute & in ſe ſpectatum Præteritum quidem eſt; at quod ratione Temporis præcedentis Præteriti poſterius, adeoque Futurum eſt.* Hujusmodi Futurum erit *Futurum in re præterita*: nam ſicuti in re futura Præteritum, ſic eodem modo in re præterita Futurum obſervare licet. Hunc Futuri Hebræi uſum non obſervaſſe, utpote Hebræis privum; quumque Grammatici & Interpretes hac in parte Futurum Hebræorum cum Futuro in Latina, aut alia quadam Vernacula Lingua componere fruſtra tentaſſent, maxime anſam dedit infinitis fere locis Futuri pro Præterito Enallagen ſtatuendi; plane eum in modum

modum, acſi Futurum Hebræis æquo jure vim & uſum Præteriti quam Futuri haberet. Quando Diſſ. I. §. VI, VII. de Præterito Imperfecto in Latina aut Vernacula Lingua quædam præmonuimus, obſervavimus, Imperfectum ſuo uſu ſæpe aliquid Futuri in ſe continere; Scilicet quod tali Tempori ſignificando inſerviat, quod licet abſolute ſpectatum vere ſit Præteritum, tamen ut poſterius, adeoque ut Futurum venit ratione præcedentis Temporis Præteriti.

Quum vero dico, Hebræos hoc loco ſæpius ſuum Futurum ponere, ne putet quis, hæc ita gratis, aut ſine ullo ſatis ſolo fundamento a me adſeri; aut ingenioſe hæc excogitata eſſe, ut hoc modo turpem Anomalias labem Hebrææ Linguæ abſtergam: nam præterquam quod, uti ſpero, hæc Futuri Hebræi ſingularis poteſtas innumeris fere, iisque omni exceptione majoribus Exemplis probabitur ac vindicabitur; etiam idem hic Futuri uſus vel a priori ex Hebrææ Linguæ natura probari ac demonſtrari poterit: Hebræi enim Temporibus Relativis prorſus carent, uti Imperfecto, Plusquamperfecto ac Modo Subjunctivo: itaque coguntur fere ope ſuorum Temporum Abſolutorum etiam omne id ſignificare, quod nos Temporibus noſtris Relativis, atque adeo interdum ſuis Temporibus Abſolutis Relative uti. An igitur inſolitum aut ab Hebræa Lingua alienum reputabitur, ſi Hebræi loco Temporis abſolute quidem Præteriti, ſed quod maxime ſpectandum venit ut dependens a præcedenti Tempore Præterito, ejusque ratione ut poſterius,

terius, adeoque ut relative Futurum venit, ſuum Futurum ponant? Quod pro indole Latinæ aut Vernaculæ Linguæ Imperfecto Præterito commode ſatis verti poterit, addita temporis particula *deinde*, vel *porro*, ſimilibusve, quæ rem reſpectu Temporis præcedentis ut poſteriorem, adeoque ut relative futuram indigitant.

Neque plane novum quid eſt, vel inauditum, ſi hunc Futuro Hebræo uſum tribuam: idem hoc, ſi rem ſpectes, jam vidit, obſervavitque Pl. Ven. de Bruin Diſſ. ſæpius laud. pag. 17. & ſeqq. nimirum Futurum Hebræorum ſæpe a nobis vertendum eſſe *Participio Futuro*; quod ſane, quando de re præterita ſermo eſt, tale deſignat Tempus, quod abſolute ſpectatum Præteritum quidem eſt, at Futurum ratione Temporis præcedanei: quod ad rem idem fere eſt cum eo Futuri uſu, quem hic ei tribuo. Eandem hanc Futuri Hebræi poteſtatem obſervavit, agnoſcitque Celeberrimus Alphenius in Tract. Belg. cui titulus, Analyſis Cantici Moſaïci pag. 185, 186. Hoc modo Futurum Hebræorum Participio Futuro reddere, ſæpiſſime commode ſatis fit, & naturam Futuri Relativi, uti voco, dextre exprimit. At vero tale Participium Futurum præterea ſingularem quendam nexum cum ſuo præcedenti Tempore involvit; qui tamen mihi non videtur proprie Futuro Hebræo indicari; verum interdum ex ipſa rerum natura obſervari poſſe: quum hic Futurum Hebræum ſua nativa vi tantum in genere rem ut præcedenti poſteriorem, eamque ſubſequentem ſiſtat: neque adeo in omnibus

obviis

obviis locis Futurum hoc Participio Futuro rite verti poterit; ubi nimirum talis ſingularis nexus inter duo aut plura ſe ſubſequentia Tempora non obſervatur. Adeoque ſic mihi videtur, hoc Futurum Relativum non ſemper uno eodemque modo in Latina aut Vernacula Lingua reddi poſſe; ſed pro vario nexu, qui inter tale Futurum & ſuum præcedens Tempus, a quo dependet, obſervari poterit, vario modo vertendum eſſe; vel Præterito Tempore, & maxime Imperfecto, addito, vel in mente ſubintellecto *deinde*, *poſtea*, vel ſimili quadam temporis particula: vel interdum id apte fit Participio Futuro: vel ſæpe etiam Imperfecto Subjunctivi; quod ex nexu rerum, collato cum Latinæ aut Vernaculæ Linguæ indole, facile dignoſcitur: hoc tantum obſervato, quod hac in parte Futurum Hebræum tantum in genere futurum ſeu poſterius quid ratione præcedentium ſignificet.

§. III.

Futuri Hebræi uſus pro Futuro Relativo probatur.

Hanc vero ſingularem Futuri Hebræi poteſtatem Exemplorum copia illuſtrare atque probare lubet.

2 Sam. XVII. 17.

2 Sam. XVII. 17. ויהונתן ואחימעץ עמדים בעין רגל והלכה השפחה והגידה להם והם ילכו והגידו למלך דויד *Et Jonathan & Achimaäts erant ſtantes ad fontem Rogel, & ibat ancilla, indicabatque iis; dein vero illi ibant, & indicabant Regi Davidi.* Quivis hic Tempora attente obſervans, facile animadvertit, Fu-

Digitized by Google

turo ילכו indicari tale Temporis momentum, quod reſpectu præcedentis Temporis, quod indicatur Præteritis והלכה והגידה poſterius quid eſt, adeoque Futurum Relativum. Atque adeo vis Futuri hoc modo hic mihi apte ſignificari videtur, quando verto: *dein ibant.* Sic contra Præteritis והלכה והגידה denotatur idem plane temporis momentum, quod ſignificatum erat Participio עמדים adeoque ſimpliciter Imperfecto reddenda ſunt: uti Diſſ. Præced. ſuo loco vidimus.

1Reg.V.25. 1 Reg. V. 25. Ubi narratur: *Et Salomoh dabat Chiramo viginti millia cororum tritici in cibum familiæ ejus, & viginti coros olei tuſi.* Jam additur כה יתן שלמה לחירם שנה בשנה Ubi Futuri יתן ea vis eſt, ut vertendum ſit: *ſic deinceps dabat Salomoh Chiramo de anno in annum*, ſeu *ſingulis annis.* Idem hic Futuri uſus obvenit vs. 28. חדש יהיו בלבנון שנים חדשים בביתו *unum menſem futuri erant in Libano, duos vero menſes quiſque domi ſuæ.*

1 Reg. VII. 7. 1 Reg. VII. 7. ואולם הכסא אשר ישפט שם אלם המשפט עשה *Et porticum ſolii, ubi dein judicabat*, vel *judicaturus erat*, *faciebat porticum judicii.* Quam verſionem Futuri ישפט etiam ipſa rei natura neceſſario flagitat: nam *de throno judicare* poſterius eſt ratione temporis, quam *thronum parare aut exſtruere*; adeoque quando thronum ſuum parabat in ſolium judicii, eo temporis judicare de throno adhuc dum erat futurum quid. Idem hoc vs. ſeq. bis obſervare licet. Verba אשר ישב שם eandem ob cauſam ſic reddo: *ubi dein habitaret*,

ret,

Digitized by Google

ret, vel *habitaturus erat.* Sic & verba ובית יעשה לבת פרעה hoc modo vertenda cenſeo, ut vim Futuri ſignificem: *Et dein ædificabat domum filiæ Pharaonis.*

2 Reg. XIII. 14. ואלישע חלה את חליו אשר ימות בו Si Futurum ימות tantum Præterito Tempore vertitur, uti paſſim videas apud Interpretes, hoc modo dicitur quidem, quod verum eſt; verum minime ſatisfit vi Futuri Hebræi. Putem obſervato genio Linguæ, ita hæc verba reddenda eſſe: *quo morbo dein mortuus eſt*, vel *moriturus erat.* Idem hic Futuri uſus obſervatur vs. 20. וימות אלישע ויקברהו וגדודי מואב יבאו בארץ בא שנה *Dein moriebatur Eliſa, & ſepeliebant eum; poſtea vero ineunte anno turmæ Moabi invadebant terram.* Atque hic Futuro יבאו narrari rem, quæ ſaltem aliquamdiu acciderit poſt mortem & ſepulturam Eliſæ, ex ipſo hujus hiſtoriæ argumento ſatis mihi fit manifeſtum. 2 Reg. XIII. 14.

2 Sam. XII. 31. Ubi poſtquam narratum fuerat, quid David Rabbæ urbi Ammonitarum fecerat, hoc additur: וכן יעשה לכל ערי בני עמון *Et ſic deinceps faciebat omnibus urbibus Ammonitarum.* Locus huic plane parallelus exſtat Job I. 5. 2 Sam. XII. 31.

2 Chron. XXV. 14. Hic poſtquam narratum fuerat, Amaziam poſt ſuum reditum a profligandis Edomitis, ſecum adduxiſſe Deos Filiorum Seïr, eosque ſibi conſtituiſſe in Deos, hoc modo hiſtoria continuatur: ולפניהם ישתחוה ולהם יקטר Res ipſa hic iterum poſtulat, vim horum Futurorum hoc 2 Chron. XXV. 14.

 vel

Digitized by Google

vel ſimili modo indicare: *& deinde coram iis ſe incurvabat, iisque adolebat.* Velit quis hunc aliave citata loca paullo aliter vertere, id per me facile licebit, modo vis Futuri Relativi, quam indicavi, quodammodo obſervetur: quod ſane aliis in locis, quæ quidem primo intuitu non adeo clara ſunt, quam hæc, quæ ex ſimplici narratione hiſtorica ſunt petita, ſæpe ſingulari modo rem illuſtrat.

Jerm. XXXI 29. JERM. XXXI. 29. בימים ההם לא יאמרו עוד אבות אכלו בסר ושני בנים תקהינה: *Diebus illis non amplius dicent: patres comederunt omphaces; & deinde*, vel *inde dentes filiorum obtuſi facti ſunt.* Ea propria hic Futuri vis eſt, ut poſterius ſeu conſequens quoddam ratione præcedentis Temporis; quin & hic ſimul conſequens quoddam ratione rei indicet; uti natura rei hic ſatis commonſtrat: nam dentium hebetudo eſt poſterius ſeu conſequens eſus omphacium ratione temporis & rei ſimul. Quia vero conſequens ſua natura poſterius eſt ſuo antecedenti, hinc & Hebræi ſuum Futurum uſurpant ad denotandum aliquod conſequens rei præcedaneæ, ubi hoc conſequens magis ratione naturæ rei, quam ratione temporis ut poſterius ſpectandum veniat; uti infra ubi de *Vav Futuri Converſivo* dicto agemus, dicendi dabitur occaſio.

Num. IX. 15--24. Singulari modo hic uſus Futuri Hebræi obſervandus venit NUM. IX. 15—24. Quam pericopam vertere ac breviter illuſtrare multum juvabit ad hanc Futuri Hebræi vim vindicandam. Hæc ſunt ejus Verba: וביום הקים

Digitized by Google

הקים את המשכן כסה הענן את המשכן לאהל העדת ובערב וגו׳ Quæ hoc fere modo, maxime reſpectu Futurorum, quæ hic ſæpius recurrunt, reddo: *Et die, quo erigebatur Tabernaculum, nubes tegebat Tabernaculum ad locum Tentorii teſtimonii; deinde autem Veſpera erat ſupra Tabernaculum tanquam ſpecies ignis uſque ad mane. Sic deinceps erat ſemper: Nubes tegebat illud, & ſpecies ignis nocte. Et ad ſignum elevationis Nubis ſupra Tentorium, poſtea proficiſcebantur Filii Iſraëlis; & in loco, ubi dein manebat,* [vel *manſura erat*] *Nubes, ibi etiam dein caſtrametabantur Filii Iſraëlis. Secundum mandatum Jehovæ proficiſcebantur* DEINCEPS, [vel *profecturi erant*] *Filii Iſraëlis, & ſecundum mandatum Jehovæ caſtrametaturi erant: omnibus diebus, quibus manſura erat Nubes ſupra Tabernaculum caſtrametaturi erant. Et quum continuaret Nubes ſupra Tabernaculum per dies multos, obſervabant Filii Iſraëlis obſervationem Jehovæ, & non profecturi erant. Et quando futura erat Nubes dies paucos ſupra Tabernaculum, ſecundum mandatum Jehovæ caſtrametaturi, & ſecundum mandatum Jehovæ profecturi erant. Et quando futura erat Nubes a veſpera usque ad mane* [*ſupra Tabernaculum,*] *& Nubes mane ſublevabatur, tunc proficiſcebantur: aut interdiu aut nocte* [*ſi accideret,*] *& ſublevabatur, etiam proficiſcebantur. Aut biduo aut per menſem, aut per annum, quando continuaret Nubes ſupra Tabernaculum, habitando ſupra illud, etiam caſtrametaturi erant Filii Iſraëlis, & non profecturi: ſi vero ſublevaretur, profecturi erant. Secundum mandatum Jehovæ caſtrametaturi, & ſecundum mandatum*

Jehovæ profecturi erant. Obſervationem Jehovæ obſervabant ſecundum mandatum Jehovæ per manum Moſis. Vides hic tot Futura, immo vero nihil fere niſi Futura in re præterita adhiberi: nam hic ut res præterita narratur, quomodo Columna Nubis & Ignis fuerit ſupra Tabernaculum, atque continuo ſignum fuerit, quo Iſraëlitæ vel caſtrametaturi vel profecturi erant à primo erectionis Tabernaculi momento & deinceps. Adeoque cuivis facile videre licet, hæc Futura eſſe Futura Relativa, ſeu Futura in re præterita, quæ vario modo Vernacule reddi poſſunt, modo vis Futuri Relativi rite obſervetur: nam omnia Tempora Futura hic ut poſteriora, adeoque ut relative Futura ſiſtuntur ratione iſtius Temporis momenti, quo primum Tabernaculum erectum fuit. Quod Tempus indicatum fuit Vs. 15. his verbis ביום הקים את המשכן *die, quo erigebatur Tabernaculum,* vel *die erectionis Tabernaculi.* Simul etiam hic obſervandum duco, quod natura rei ſatis nobis permittat, quin fere ſuadeat, ut quædam horum Futurorum reddantur ope Verbi *debeo*, hoc modo: *caſtrametari* vel *proficiſci debebant Iſraëlitæ.* Hoc modo ſæpe Hebræos ſuum Futurum uſurpare, idque ſatis analogice videbimus infra ſuo loco. At ne quem offendant Præterita ונעלה & ונסעו quæ bis occurrunt Vs. 21. quæque hic eodem loco ponuntur quo reliqua Futura; obſervo, hæc propter ו immediate præfixum hic ex indole Linguæ dependere a præcedenti Futuro יהיה adeoque Futuro Tempori ſignificando inſervire, uti obſervavimus Diſſ. II. §. IX, X.

Con-

Conferri cum hoc loco meretur Exod. XL. 36, 37, 38. *.

Ps. XXXII. 5. Poſtquam David hæc de ſuo priſtino ſtatu confeſſus erat, quæ occurrunt vs. 3, 4. *quum tacebam, conſenuerunt oſſa mea* &c. jam porro hæc addit, חטאתי אודיעך ועוני לא כסיתי Hic Futurum אודיעך de re abſolute præterita dici prorſus mihi videtur, neque adeo noſtro Futuro Tempore commode ſatis verti poſſe: atque adeo Futurum quoddam Relativum hic obſervandum erit, ſeu poſterius quid ratione rei vel Temporis præcedentis; atque putem hoc, vel ſimili quodam modo vim hujus Futuri ſignificandam: *dein tibi notum faciebam peccatum meum*: nimirum poſtquam aliquamdiu ſiluerat, atque obtexerat peccatum ſuum. Quæ verſio ex ipſo hujus Pſalmi argumento ſatis mihi comprobatur. Quæ hic habet Cl. Van Till ad hoc Futurum vindicandum, apud ipſum videri poſſunt in Comm. Belg. ad h. l. Pſ. XXXII. 5.

Similem plane Futuri uſum obſervo Ps. CII. 25. ubi Futurum אמר hoc modo verterem: *dein*, vel *poſtea dicebam*. Quod ex cohærentia cum præcedenti vs. 24. abunde mihi liquet, ubi de re præterita Verbis Præteriti Temporis hoc modo loquutus erat Vates ענה בדרך כחי קצר ימי *adflixit in via vim meam, dies meos decurtavit*. Jam vero re- Pſ. CII. 25.

* Similis fere Futurorum uſus obſervatur Exod. XXXIII. 7--12. Verum ſingulari modo hanc pericopam concipit, atque vertit Ven. de Bruin in ſua de hac materia Diſſ. pag. 154--165.

reſpectu hujus rei præteritæ poſterius ſeu conſequens erat *Iò dicere.*

Idem hic Futuri Hebræorum uſus, quo *relative* veniat ut Futurum quoddam ratione præcedentis Temporis Præteriti, infinitis fere aliis locis obſervare licet; maxime vero in Pſalmis, aliiſque Canticis in Sacro Codice obviis: adeo ut Cel. Alphenius hanc fere ipſam obſervationem ut clavim Cantici Moſaïci, ratione diverſitatis Temporum, rite explicandi proponat in ſua in hoc Canticum Anal. Expos. Belg. Edit. pag. 185, 186.

Plura hujus rei Exempla ſi quis deſiderat, inſpiciat hæc loca Gen. XXXI. 39. Exod. XIII. 22. Jud. II. 18, 19. 1 Sam. I. 5. XIV. 47. 2 Sam. XXIII. 10. 1 Reg. III. 4. 2 Reg. III. 25. Pſalm XVII. 3. LXVI. 6. LXXVII. 17. XCIV. 18, 19. XCIX. 6. CVII. ſæpius. Job XIX. 16.

§. IV.

Hic Futuri uſus contra inſignem, quæ moveri poſſet, exceptionem, vindicatur.

Fatendum vero, interdum dari loca, ubi Futurum Hebræum hac ſignificatione venire videatur; vel ſaltem ubi uſurpetur in re abſolute præterita: quum tamen nullum aliud præcedens Tempus Præteritum expreſſum ſit, unde hoc Futurum dependeat, ſeu cujus ratione ut poſterius, adeoque ut futurum veniat. Qualia loca primo intuitu vel auctoritatem hujus Regulæ infringere, vel ſaltem exceptionis loco habenda eſſe videntur: hujusmodi loca maxime hæc noto Num. XXIII. 7. Jud. II. 1. Jerm. XXXVI. 18. & Pſalm LXXX. 9, 10.

NUM.

Digitized by Google

NUM. XXIII. 7. Hoc loco Bileam ita ſua oracula orditur : מן ארם ינחני בלק מלך מואב *E Syria transferri me juſſit Balak Rex Moabi.* Hic nihil præcedit, a quo Futurum ינחני dependeat ; & tamen ſi rem ſpectes, vere res præterita hoc Futuro ſignificatur. Verum ſic mihi videtur : omnino aliquid ad ſenſum Grammaticum abſolvendum deëſt ante vocem לכה hoc eodem Verſu : quam ellipſin commodiſſime ſupplendam cenſeo vocibus אמר אלי *dixit mihi*, vel ſimili quodam verbo. Adeoque ſecundum conſtructionem Grammaticam hæc verba hoc fere modo plene concipio, acſi diceret Bileam [כי] מן ארם ינחני בלק מלך מואב — [אמר אלי] לכה ארה לי יעקב atque ſic hæc verba rederem : *quum ex Syria me translaturus erat Balak ; dixit mihi [ſcilicet per ſuos nuntios :] veni & maledic mihi Jacobo.* Atque hoc modo ינחני hic erit Futurum Relativum, ſeu poſterius quid ratione Præteriti אמר quod hic ſupplendum ; vel etiam ratione ipſius Verbi לכה Conferri meretur Cap. XXII. 5, 6. Num. XXIII. 7.

JUD. II. 1. Etiam hoc loco Futurum venit in re præterita, ubi nullum aliud præcedit Tempus quoddam Præteritum, a quo Futurum hoc dependeat, & cujus ratione ut Futurum Relativum ſiſti poſſit, quando Angelus Jehovæ hæc dicit אעלה אתכם ממצרים ואביא אתכם אל הארץ וגו׳ Quomodo hunc locum ab Anomalias labe purgare conetur Ven. de Bruin, apud ipſum videri poterit in Jud. II. 1.

Laud. Diſſ. pag. 165. & ſeqq. Eſt mihi locus, ut verum fatear, omnium difficillimus; neque in vindicatione Ven. de Bruin plane acquieſcere mihi licet. Si loco וָאֹמַר diceretur אמרתי ſcirem, quo modo hic Temporum Analogiam ſervarem. Quum vero hic nihil fere niſi Futura occurrant, idque in re præterita, neſcio, quo modo rite Futurum אעלה ab Anomalia liberem: nec tamen ullo modo crediderim, hic in ſimplici plane conſtructione Grammatica, ubi reliqua omnia ſunt ſatis liquida atque plane analoga, Futurum pro Præterito poſitum eſſe, adeoque duo hæc Tempora toto Cœlo diverſa, hic in narratione rei præteritæ. plane promiſcue poni: quare non, ſi hæc mens ſit hujus loci, neque ulla ratio hic ſit adhibiti Futuri Temporis, dictum fuit Præterito Tempore העליתי uti alias ſemper in re omni modo præterita. Confer Mich. VI. 4. Omnino mihi hic obſervandum videtur, hunc Verſum eſſe inter illos XXVIII. a Maſorethis notatos, ubi occurrit פסקא באמצע פסוק h. e. *ceſſatio in medio Verſus.* Quæ nota Maſorethica maxime obvenit in Libris Hiſtoricis, atque uti ab aliis jam obſervatum video, indicare videtur, quædam quaſi omiſſa eſſe, ſeu eſſe ſermonem decurtatum aut abbreviatum; neque omnia alicujus verba verbotenus narrari aut repeti; quod ex accurata ſaltem plurium horum locorum inſpectione ſatis mihi liquet; non quaſi Sacer Codex vere ſit decurtatus aut mutilatus, ſed quod

quod ipſe Sacer Scriptor rem ita compendioſe ac breviter ſcripſerit: quod Maſorethæ vel ex antiqua quadam traditione, vel ex ipſis locorum circumſtantiis facile obſervare potuerunt. De hac nota Maſorethica conferri merentur Cl. Joh. Buxtorfius in Clavi Maſoræ, Joh. Leusden. in Philol. Hebr. Diſſ. XXII. & Joh. Chriſtoph. Wagenſeyl. in Addita Mantiſſa ad Tela Ignea Satanæ, de LXX. Hebdom. Dan. pag. 33, 34. Hoc modo etiam hic probabile mihi redditur, a Sacro hujus Judicum Libri Scriptore non omnia verba verbotenus narrari, quæ Angelus Jehovæ tunc temporis loquutus fuerit; Sed ab initio hujus Sermonis Divini quædam quaſi omiſſa eſſe; atque hic ea tantum narrari, quæ maxime ex ſcopo Dei loquentis requiruntur. Conferri hic meretur Joſ. XXIV. 2. & ſeqq. ubi Jehovah ab initio quaſi exorſus, omnia enumerat beneficia in Abrahamum, Iſaäcum & Jacobum, eorumque Semen collata. Hoc vero noſtro loco, quod mihi hactenus ſaltem probabiliſſimum videtur, Angelus Jehovæ eadem hæc beneficia repetit; verum conciſius, eorumque tantum poſteriora: adeo ut hic oratio quædam abrupta obſervanda ſit, quam hoc fere modo ſignificarem: *dein*, vel *porro adſcendere vos faciebam ex Ægypto, & introducebam vos in Terram, quam [daturum me] juravi Patribus veſtris.* Quod ſi rem ſpectes, idem erit, acſi dicat Angelus Jehovæ: *poſt tot alia præcedanea beneficia adſcendere vos faciebam ex Ægypto*, &c. Num vero ipſe Angelus Jehovæ hæc verba, prout hic occurrunt, ita abrupte vel conciſe prolo-

proloquutus fuerit; an vero Sacer hujus Libri Scriptor uberiorem Angeli Jehovæ ſermonem ita abrupte, & ex parte tantum, quantum ad ſcopum ſufficiebat, Scripturæ mandaverit, hoc mihi hac in parte perinde eſt.

Jerm. XXXVI. 18. JERM. XXXVI. 18. Hoc loco idem fere quod jam dixi, obſervandum mihi videtur, cujus hæc ſunt verba: ויאמר להם ברוך מפיו יקרא אלי את כל הדברים האלה ואני כתב על הספר בדיו: *Et dicebat iis Baruch; ex ore ſuo pronuntiabat mihi omnia iſta verba, & ego ſcribebam in hoc libro atramento.* Hic in initio periodi, ſeu reſponſi Baruchi occurrit Futurum יקרא idque in re præterita; neque quicquam Præteriti hic obſervo, cui hoc Futurum ut poſterius quid, ſeu ut Futurum Relativum ſubjungatur. Non tamen facile credam, hic veram dari Futuri pro Præterito Enallagen, aut hic prorſus nihil aliud ſignificari, quam ſi Baruchus Præterito Tempore dixiſſet מפיו קרא אלי Locus eſt mihi paullo obſcurior, quia mihi nondum ſatis liquet, quid ſibi velint Principes Judæ, quando vs. 17. rogant איך כתבת את כל הדברים האלה מפיו *quomodo ſcripſiſti hæc omnia verba ex ejus ore?* cui interrogationi his verbis reſpondet Baruchus. Maxime ea mihi videtur intentio hujus interrogationis, an Jeremias hæc verba ſuo ipſius nomine; an vero nomine Jehovæ, & ut verba Jehovæ ipſi dictaverit. Si vero hoc reſponſum Baruchi accurate conferatur cum interrogatione Principum,

Digitized by Google

cipum, nihil fere eo ſignificabit Baruch de modo, quo hæc verba ſcripſerit, neque quicquam fere aliud reſpondebit, niſi quod ut cognitum atque ſatis exploratum in interrogatione propoſitum erat: nam quod Baruch in reſponſione addat בדיו *ſe hæc atramento in hoc Libro ſcripſiſſe*, id mihi proprie non videtur fuiſſe intentio hujus interrogationis Principum; nam id oculis ſuis ſatis videre poterant. Adeoque nihil fere reſtabit, niſi ut dicamus, Baruchum maxime uſu Futuri יקרא hic ſignificare velle modum, quo hæc verba ſcripſerit. Itaque veroſimile mihi redditur, hæc Baruchi verba quodammodo elliptica eſſe; atque ad ſententiam abſolvendam hoc vel ſimile quid ſupplendum eſſe אשר יהוה דבר אליו Quale quid hic commode repeti atque ſuppleri poteſt ex vs. 2. & 4. hujus Cap. Adeoque hoc modo plene hoc Baruchi reſponſum verterem: *ea*, *quæ Jehovah ipſi loquutus erat*, *tunc* vel *dein pronuntiabat mihi ex ore ſuo*. Hoc modo aliquid ſignificabit Baruchus de modo, quo hæc ſcripſerit; atque hoc ſuo abrupto reſponſo videtur mihi Baruchus, forte præ metu, paullo tecte teſtimonium dare hiſce ſermonibus Jeremiæ tanquam Divinæ originis, utpote quos Jehovah ipſi revelaverat.

Forte putet quis, has ſimilesque abruptæ orationis ſpecies prorſus duras atque inauditas eſſe: at ſit ita in noſtra Vernacula aliave Lingua; quum proprie talem Futuri Relativum uſum non agnoſcamus: at plane alia eſt hac in parte Hebrææ Linguæ indoles; neque

Digitized by Google

neque adeo eo ipſo in Hebræa Lingua æque durum atque inſolens cenſeri jure poterit. Si vero quis noverit aliquid rectius, ſimplicius atque magis analogum iſtis, lubens cedam; ſi non, his utatur mecum.

Pſ. LXXX. 9, 10. Ps. LXXX. 9, 10. גפן ממצרים תסיע
תגרש גוים ותטעה : פנית לפניה ותשרש
שרשיה ותמלא ארץ : Tria hæc Futura vs. 9. ubi tertium eſt cum ו *Converſivo* vel *Relativo*, paſſim Interpretes Præterito Tempore reddunt, æque ac Præteritum פנית qua auctoritate aut regula plane neſcio: immo Cl. Tillius, qui cæteroquin Temporum Analogiam obſervare ſtudet, hic nihil notat. Quod vero hæc Futura de re Præteriti Temporis dicantur, omnino concedo. At vero hæc Futura mihi ſunt Futura Relativa, ſeu Futura in re præterita, quæ a ſequenti Præterito פנית quod occurrit in initio vs. 10. dependent, ſeu ejus ratione ut poſterioris temporis veniunt. Adeoque hoc modo, ſalva Temporum Analogia, hunc locum reddo: *quum transferres*, vel *translaturus eſſes vitem ex Ægypto, expulſurus Gentes, eamque plantaturus; paraſti locum coram ea, & radicare faciebas radices ejus, & implebat terram.* Ad hanc verſionem illuſtrandam atque probandam noto, Verbum פִּנָּה in genere notare *parare*, *adſpectabile reddere*, vi Conjugationis Pihel; quum in Kal ſignificet *adſpicere*, *faciem aliquo vertere.* Quod etiam hoc Verbum in Conjugatione Pihel ſatis analogice ſignificet, *e facie amovere*, *removere*, *propellere*, non eſt quod

quod negem. Vid. Zeph. III. 15. פִּנָּה אֹיְבֵךְ *Jehovah amovit, propulit hoſtem tuam.* Verum hæc ſignificatio huic loco non admodum quadrare videtur, quia idem illud jam dictum erat vs. 9. תגרש גוים Adeoque putem Præterito פנית hic deſignari, Deum Terram Canaän omni modo paraſſe; reddendo eam ſalutiferam, fructuoſam, atque ſplendidam ſupra omnes reliquas Orbis. terras: atque hoc modo Deus hanc terram quaſi præparavit ut hortum aut Vineam, in quam ſuam Vitem tranſplantaret. Omnino mihi videtur, ſicuti hoc præſenti tempore Terra Canaän multum degeneravit a priſtina ſua feracitate ac ſplendore, ſic etiam nec ab omni tempore hanc Terram eadem fertilitate, omnium rerum abundantia, atque ſplendore gaviſam fuiſſe; ſed Deum, quum jam inſtabat tempus transferendi ſuam Vitem ex Ægypto, ſingulari modo hanc Terram præparaſſe atque exornaſſe. Atque adeo hic Præteritum פנית erit prius, ſeu antecedens, ſeu præteritum quid ratione Futurorum, quæ occurrunt vs. 9.

§. V.

Futuri uſus in re Præterita prætérea probatur ex conſtructione Particularum אז/ טרם/

Idem hic Futuri Hebræi uſus, quo ſcilicet veniat loco Futuri Relativi, ſeu ad deſignandum poſterius ſeu futurum quid in re præterita, ſingulari modo etiam ex eo mihi illuſtratur atque comprobatur, quod Hebræi ſæpe hoc modo ſuum Futurum ponant poſt varias Temporis Particulas, quæ poſterius quid

aliarumque cumFuturo. quid reſpectu temporis præcedentis notant, idque quando de re præterita ſermo eſt. Quales Particulæ præſertim ſunt טרם / אז aliæque.

Particula Temporis טרם vel בטרם * quæ paſſim commode redditur, *antequam*, *priusquam*, *nondum*, primo ſtatim intuitu nobis ideam ingerit temporis futuri ſeu inſtantis: nam talem fere nexum ſeu relationem inter duo tempora ſignificat, qua alterum altero poſterius ſiſtitur; adeo ut tempus poſterius reſpectu prioris ſeu antecedentis ut nondum exiſtens, vel ut demum futurum conſideretur; atque hoc modo illud tempus, quod regitur a Particula טרם erit quoddam Futurum Relativum, ſeu Futurum ratione temporis præcedentis. Maxime vero hic nobis obſervandus atque illuſtrandus erit uſus hujus

* De hac Particula טרם an proprie ſignificet, adeoque ſemper vertendum ſit *nondum*; an vero ea hujus vocis prima ac propria ſit ſignificatio ut *tempus imminens*, ſeu *anterius* deſignet, adeoque per *antequam*, *priusquam* reddendum ſit, videri poterunt Guſſetius in Lex. ad h. V. Noldius in Notis ad Lex. Partic. ad h. v. & Chriſt. Koerberus Lex. Partic. pag. 20. quod ſubjunctum eſt Noldii Lexico. Non negaverim, interdum apte ſatis hanc Particulam verti poſſe *nondum*. Veruntamen poſterior ſententia mihi veroſimilior videtur; ſcilicet טרם proprie eſſe Nomen aliquod Subſtantivum, quod vel ex ipſa forma, atque conſtructione hujus Particulæ ſatis liquet; adeoque proprie ſignificare *tempus imminens*, ſeu *anterius*. Cui ſententiæ mihi nequaquam, uti vult Guſſetius, obſtat Exod X. 7. הטרם תדע Quod ſervata natura Particulæ טרם hoc fere modo reddo: *an adhuc anterius eſt tempus*, vel *in anteriore tempore*, *ut ſcias*? Quod ſi rem ſpectes, nihil aliud eſt, quam *an nondum ſcies*? vel *agnoſces*?

Digitized by Google

hujus Particulæ, quando uſurpatur in re jam præterita; ſi enim Futurum, quod cum טרם conſtruitur, rem abſolute Futuram deſignat, hic nihil ſingulare in eo obſervandum erit, cujus rei Exempla Vid. Gen. XXVII. 4. Jeſ. LXV. 24. Zeph. II. 2. Solent vero Hebræi, quod ſingularem hujus Linguæ idiotismum ſapit, etiam in re præterita hanc Particulam cum Futuro conſtruere; quo ipſo hoc Futurum venit ut Futurum in re præterita. Hoc vero productis in medium Exemplis, ad oculum patebit.

Gen. XIX. 4. Gen. XIX. 4. טרם ישכבו ואנשי העיר אנשי סדום נסבו על הבית מנער ועד זקן Quæ verba proprie ſic vertenda, *antequam cubarent, & viri illius urbis, viri Sodomæ circumdabant domum a pueris ad ſenes uſque.* At ratione conſtructionis Grammaticæ hoc modo hæc verba dirigenda forent, ואנשי העיר נסבו —— טרם ישכבו *Et viri hujus urbis circumdabant domum, antequam cubarent* vel *cubaturi erant.* Hoc modo nemo non videt, hic Futuro ישכבו tale deſignari tempus, quod reſpectu præcedentis poſterius, adeoque Futurum eſt; licet abſolute ſpectatum ſit præteritum quid.

Gen. XXVII. 33. Ubi Iſaäcus Eſavo filio hæc dicit: *quis aut ubi ille, qui venatus eſt venationem; & ad me adducebat, & comedebam de omni,* בטרם תבוא ואברכהו *antequam venires, & benedicebam ei.* Hæc verba itidem ratione ordinis temporum ſic diſponenda cenſeo ואכל מכל ואברכהו בטרם תבוא *& comedebam de omni, & benedicebam ei, ante-* Gen. XXVII. 33.

K *quam*

quam venires. Quo certe Futurum תבוא ratione præcedentium ut poſterius quid, adeoque ut Futurum Relativum venit.

Gen. XXXVII. 18. GEN. XXXVII. 18. ויראו אתו מרחק ובטרם יקרב אליהם ויתנכלו אתו להמיתו *Et videbant eum e longinquo, & antequam appropinquaret ad eos, machinati ſunt contra eum ad eum occidendum.* Ubi iterum Futurum יקרב vi particulæ בטרם hic ſiſtitur ut poſterius ſeu futurum quid ratione præcedentium; atque hic foret naturalis Verborum ordo ſecundum conſtructionem Grammaticam ויראו אתו מרחק ויתנכלו —— בטרם יקרב אליהם Eundem hunc Futuri Hebræi uſum; ſi conſtruatur cum temporis Particula טרם jam obſervatum videas apud Ven. de Bruin Diſſ. laud. pag. 45. & ſeqq. ubi illuſtrat, atque ad analogiam redigit locum Gen. II. 5. cui plura alia, ubi eadem hæc Futuri conſtructio cum טרם in re præterita obſervanda, addi poſſunt, ſcilicet Exod. XII. 34. Joſ. II. 8. III. 1. 1 Sam. III. 3. Pſalm CXIX. 67. Ruth III. 14.

Quatuor notantur loca in Notis ad Noldii Lex. Partic. V. טרם ubi hæc Particula in re præterita, ſeu tempore præterito veniat cum Præterito, quum cæteroquin, uti vidimus, Futurum poſt ſe amat. Quæ loca hæc ſunt Gen. XXIV. 15. 1 Sam. III. 7. Pſalm XC. 2. Prov. VIII. 25. Verum ſit ita, nollem tamen eo nomine Anomalias crimen Hebrææ Linguæ hac in parte imputari, acſi prorſus promiſcue, & pro cujusque arbitrio Præteritum aut Futurum adhibere liceat: quum

quum hic æque commode atque analogice vel Futurum vel Præteritum uſurpari poſſit. Quam ἀναλόγως hic Futurum in re præterita adhibeatur, jam obſervavimus. Quidni & in re abſolute præterita Præterito Tempore uti licebit? maxime quum illud, quod ut poſterius, ſeu relate futurum ratione temporis præcedentis hic obſervandum venit, ſatis indicatur vi Particulæ טרם. Immo 1 Sam. III. 7. in eodem plane caſu bis uſurpatur Particula hæc, ſemel cum Præterito, & altera vice cum Futuro. Qua occaſione notandum duco, Hebræos iis in caſibus, ubi æque Futuro ac Præterito locus eſſe poteſt, quod maxime in ſermone Aoriſti Temporis obſervandum, modo hoc, modo illo uti ſolere, elegantiæ aut varietatis cauſa; quod præſertim in Libro Jobi, atque Pſalmis obſervandum: qualis Temporum variatio maxime etiam metro inſervire videri poſſet. Inſpici eum in finem meretur Job XXXI. atque conferri ea, quæ Diſſ. Seq. de Tempore Aoriſto dicenda erunt. Nonne id ſimili fere modo in Vernacula, atque aliis fere omnibus Linguis absque Anomalias crimine obſervatur? nonne æquo iure Vernacule mihi dicere licebit: *eer hy kwam*, vel *eer hy komen ſou*, vel *ſtond te komen*? Sic & Latini ſæpe eodem in caſu vel Indicative, vel Subjunctive loquuntur; ubi tamen, ſi accurate conſtructionem Grammaticam attendas, res diverſo modo explicanda erit.

Eodem modo Temporis Particulæ עד הנה *huc usque*, in re præterita cum Futuro conſtruuntur, ubi ſignificatur Tempus poſterius,

 ſeu

quam venires. Quo certe Futurum תבוא ratione præcedentium ut poſterius quid, adeoque ut Futurum Relativum venit.

Gen. XXXVII. 18. Gen. XXXVII. 18. ויראו אתו מרחוק ובטרם יקרב אליהם ויתנכלו אתו להמיתו *Et videbant eum e longinquo, & antequam appropinquaret ad eos, machinati ſunt contra eum ad eum occidendum*. Ubi iterum Futurum יקרב vi particulæ בטרם hic ſiſtitur ut poſterius ſeu futurum quid ratione præcedentium: atque hic foret naturalis Verborum ordo ſecundum conſtructionem Grammaticam ויראו אתו מרחוק ויתנכלו —— בטרם יקרב אליהם Eundem hunc Futuri Hebræi uſum, ſi conſtruatur cum temporis Particula טרם jam obſervatum videas apud Ven. de Bruin Diſſ. laud. pag. 45. & ſeqq. ubi illuſtrat, atque ad analogiam redigit locum Gen. II. 5. cui plura alia, ubi eadem hæc Futuri conſtructio cum טרם in re præterita obſervanda, addi poſſunt, ſcilicet Exod. XII. 34. Joſ. II. 8. III. 1. 1 Sam. III. 3. Pſalm CXIX. 67. Ruth III. 14.

Quatuor notantur loca in Notis ad Noldii Lex. Partic. V. טרם ubi hæc Particula in re præterita, ſeu tempore præterito veniat cum Præterito, quum cæteroquin, uti vidimus, Futurum poſt ſe amat. Quæ loca hæc ſunt Gen. XXIV. 15. 1 Sam. III. 7. Pſalm XC. 2. Prov. VIII. 25. Verum ſit ita, nollem tamen eo nomine Anomalias crimen Hebrææ Linguæ hac in parte imputari, acſi prorſus promiſcue, & pro cujusque arbitrio Præteritum aut Futurum adhibere liceat: quum

Digitized by Google

quum hic æque commode atque analogice vel Futurum vel Præteritum uſurpari poſſit. Quam ἀναλόγως hic Futurum in re præterita adhibeatur, jam obſervavimus. Quidni & in re abſolute præterita Præterito Tempore uti licebit? maxime quum illud, quod ut poſterius, ſeu relate futurum ratione temporis præcedentis hic obſervandum venit, ſatis indicatur vi Particulæ טרם. Immo 1 Sam. III. 7. in eodem plane caſu bis uſurpatur Particula hæc, ſemel cum Præterito, & altera vice cum Futuro. Qua occaſione notandum duco, Hebræos iis in caſibus, ubi æque Futuro ac Præterito locus eſſe poteſt, quod maxime in ſermone Aoriſti Temporis obſervandum, modo hoc, modo illo uti ſolere, elegantiæ aut varietatis cauſa; quod præſertim in Libro Jobi, atque Pſalmis obſervandum: qualis Temporum variatio maxime etiam metro inſervire videri poſſet. Inſpici eum in finem meretur Job XXXI. atque conferri ea, quæ Diſſ. Seq. de Tempore Aoriſto dicenda erunt. Nonne id ſimili fere modo in Vernacula, atque aliis fere omnibus Linguis absque Anomalias crimine obſervatur? nonne æquo iure Vernacule mihi dicere licebit: *eer hy kwam*, vel *eer hy komen ſou*, vel *ſtond te komen*? Sic & Latini ſæpe eodem in caſu vel Indicative, vel Subjunctive loquuntur; ubi tamen, ſi accurate conſtructionem Grammaticam attendas, res diverſo modo explicanda erit.

Eodem modo Temporis Particulæ עד הנה *huc usque*, in re præterita cum Futuro conſtruuntur, ubi ſignificatur Tempus poſterius,

 ſeu

ſeu ſequens, adeoque relative Futurum ratione præcedentis Temporis Præteriti, Ps.
Pſalm LXXI. 17. LXXI. 17. אלהים למדתני מנעורי ועד הנה אגיד נפלאותיך׃ *O Deus, a pueritia mea docuiſti me; atque huc usque annuntio mirabilia tua.* Quod eſt quaſi dicat Pſalmiſta: *atque dein a prima mea pueritia ad hoc usque temporis momentum annuntiabam mirabilia tua.* Atque hoc modo facile quis videat, obſervandum hic Futurum Relativum, ſeu tempus quoddam conſequens atque poſterius reſpectu antecedentis Temporis Præteriti. Sic & Particula עד ſimilem in modum in re præterita cum Futuro conſtruitur Joſ. X. 13. Uti & עד אשר Jon. IV. 5.

Hic vero obſervari meretur, quod licet Temporis Particulæ אחר & אחרי כן quando in tempore jam præterito uſurpantur pro *dein, poſtea;* adeo ut ratione præcedentis Temporis Præteriti ſubſequens, ſeu relative Futurum indigitent; plane eodem jure Futurum Tempus ſibi jungere poſſent, uti paſſim Particula טרם aliæque: quod id tamen non adeo ſit ex uſu Linguæ Hebrææ, quæ fere ſemper in re præterita poſt has Particulas Præteritum ponit, uti ex. gr. Gen. XXIII. 19. Job III. 1. & alibi. Sic in variis caſibus plus quam uno modo analogice loqui licet; atque maxime indoles & uſus Linguæ hic obſervandus. At videtur tamen hoc in caſu אחרי כן cum Futuro conſtrui Gen. VI. 4.

Particula Temporis אז hic etiam ſingularem meretur attentionem. Proprie ſignificat *tunc, iſto* vel *hoc tempore:* adeoque tale deſignat

gnat tempus, quod quidem reſpectu loquentis aut præteritum aut futurum eſt, verum ſimul ut præſens vel contemporaneum ſiſtitur alii cuidam præcedenti tempori, ſive præterito ſive futuro; quam diſtinctionem nos Belgæ ſignificamus Particulis *Toen* & *dan*, ubi prior de præterito, poſterior vero de futuro tempore dici ſolet. Hic vero nobis tantummodo aliquid dicendum erit de uſu hujus Particulæ, quando refertur ad tempus aliquod præteritum, ſeu quando de re abſolute præterita dicitur: nam ſi dicatur de re futura, per ſe patet, quod cum Futuro conſtruenda ſit. Quod vero ad uſum Particulæ אז attinet, quum de re præterita dicitur, vel cum Præterito, vel cum Futuro Tempore conſtruitur, & ut primo quidem intuitu facile cuipiam videatur, plane promiſcue vel Præteritum vel Futurum Tempus ſibi habet adjunctum. Cl. Buxtorfius Theſ. Gramm. Lib. II. Cap. 19. pag. m. 548. hic frequentiſſimam Futuri loco Præteriti Enallagen ſibi obſervaſſe videtur, citatque Ab. Esram ad Exod. XV. 1. qui notat: משפט לשון הקודש לאמור לשון עתיד תחת עבר עם מלת אז וככה בלשון ישמעאל *Mos eſt Linguæ Sanctæ, efferre Tempus Futurum loco Præteriti cum vocula* אז; *atque ſic in Lingua Ismaëlitica ſive Arabica fit.* Certe exiſtimaſſe videntur Grammatici Hebræi, indolem ſuæ Linguæ non ſatis attendentes, quod ubi in narratione hiſtorica de re præterita ſermo fit, atque tunc Particula אז cum Futuro conſtruitur, id omnino Enallagen eſſe Futuri pro Præterito: ex. gr.

Digitized by Google

quando Exod. XV. 1. dicitur אז ישיר משה *tunc canebat Moſes*. Omnino largior, ſi tempora abſolute & in ſe ſpectentur, verbo ישיר ſignificari rem præteritam; nam hic narratio eſt de re præterita. Verum ſi paullo accuratius uſum hujus Particulæ, ejusque ſive cum Præterito, ſive cum Futuro conſtructionem obſervemus, facile hunc ſimiliave loca a labe Anomalias purgabimus. Ex attenta locorum conſideratione, ubi Particula אז quando de re præterita ſermo eſt, vel cum Præterito, vel cum Futuro conſtruitur, hoc me jure merito obſervaſſe exiſtimo:

I. Si Particula אז in re præterita cum Tempore Præterito conſtruitur, tunc ſalva vi Temporis Præteriti tale Tempus hoc Præterito ſignificatur, quod plane contemporaneum eſt cum Præcedenti Tempore Præterito, ſeu ex noſtro idiomate *Præſens quoddam Relativum*, vel *Præſens in re præterita*; h. e. tale Tempus, quod vere & abſolute ſpectatum Præteritum eſt, at Præſens reſpectu antecedentis Temporis Præteriti. Quale Tempus proprie eſt noſtrum Imperfectum Præteritum, uti vidimus Diſſ. I. §. VI. Atque Hebræos hoc loco modo plane analogo ſuum Præteritum ponere, obſervavimus Diſſ. II. §. V. Uti hoc ex ſubjectis Exemplis patere poterit.

Joſ. X. 33. Jos. X. 33. אז עלה הרם מלך גזר לעזר את לכיש *Tunc adſcendebat Horam Rex Gezeris ad auxiliandum Lachiſo*. h. e. eodem illo tempore, quo hæc gerebantur, quæ narrantur duobus præcedentibus Commatibus; nimirum

Digitized by Google

tum quando Joſua cum Filiis Iſraëlis Lachiſum oppugnabat.

1 Reg. VIII. 12. אז אמר שלמה יהוה אמר לשכן בערפל: *Tunc dicebat Salomoh: Jehovah dixit, ſe habitaturum in caligine.* *Tunc* h. e. eodem illo tempore, quo denſa nubes implebat domum Jehovæ; ſecundum vs. 10, 11. Idem hoc obſervari poterit Gen. IV. 26. Jud. XIII. 21. 2 Sam. V. 25. 2 Chron. VI. 1. 1 Reg. VIII. 12.

II. Quando vero in narratione rei præteritæ Particula אז cum Futuro conſtruitur, fit autem hoc ſæpius, ita cum ratione mihi videtur, tunc tale deſignari Tempus, quod ratione Temporis præcedentis poſterius, adeoque relative Futurum eſt: atque adeo hæc Particula vertenda erit *dein*, *poſtea*, vel *paullo poſt*. At vero ne quem nova hæc Particulæ אז ſignificatio offendat, obſervandum, hoc modo huic Particulæ proprie nihil novi accidere; verum rationem, ob quam אז per *dein* aut *poſtea* ſit vertendum, proprie latere in Futuro Hebræorum Relativo, quod tempus aliquod poſterius reſpectu præcedentium denotat. * Si quis velit hoc in caſu propriam hujus Particulæ ſignificationem re-

* Interdum tamen alio caſu אז vertendum erit *dein*, *poſtea*. Vid. Exod. XII. 44. Joſ. XX. 6. quod mihi tamen non adeo nova aut inſolita hujus Particulæ notio videtur; verum maxime ex eo oriri, quod tunc non ita accurate aut præciſe identitas temporis obſervetur: quod ſæpe etiam non adeo pro rerum natura aut ſcopo requiritur. Alioquin ita cenſeo, אז proprie atque ſemper ſignificare *tunc*, non vero *poſtea*. Non amo iſtam ſignificationum multiplicationem aut varietatem.

Digitized by Google

tinere, id per me facile licebit, modo vis Futuri obſervetur; atque tunc ex indole noſtræ aut Latinæ Linguæ res paullo aliter vertenda erit: ex. gr. ſi in re præterita dicat quis אז יעשה id verti poterit vel *dein faciebat*, *tunc facturus erat*, vel *factum ibat.* Hæc quæ dico, non temere aut ſine ſatis ſolida ratione a me ficta putanda ſunt: quum ad id me ſatis impellat ipſa Futuri Temporis ſignificatio, quæ non facile infringenda, ſed quantumpote ſarta tectaque ſervanda, quod quivis mihi facile largietur. Præterea id me docent ipſa Sacri Codicis loca, ubi in re præterita אז cum Futuro conſtruitur; adeoque hæc tutiſſime inductione omnium fere locorum mihi dicere licebit. En loca:

1 Reg. VIII. 1. Coll. 2 Chron. V. 2. 1 Reg. VIII. 1. Coll. 2. Chron. V. 2. אז יקהל שלמה את זקני ישראל *Tunc congregabat Salomoh Seniores Iſraëlis.* h. e. *dein congregabat*, vel *tunc congregaturus erat.* Hic ſaltem ope Particulæ אז cum Futuro conſtructæ tale indigitatur tempus, quod poſterius, adeoque futurum erat ratione præcedentium: nam hæc congregatio Seniorum non accidit ipſo illo tempore, quo adhuc Templum ſtruebatur; ſed poſt abſolutam demum Templi ſtructuram: adeoque Salomoh congregabat Seniores, poſtquam ea abſoluta erant, quæ in fine Cap. VII. narrantur.

Num. XXI. 17. Num. XXI. 17. אז ישיר ישראל את השירה הזאת *Tunc* h. e. *dein cantabat Iſraël hoc canticum.* Hujus loci contextus nos ſatis ſuperque docet, Iſraëlem hoc canticum cantaſſe,

Digitized by Google

taſſe, poſtquam jam pervenerant ad illum puteum, de quo mentio facta erat vs. præced.

Jos. XXII. 1. אז יקרא יהושע וגו״ *Tunc* Joſ. XXII. 1.
vocabat, h. e. *dein vocabat Joſua Rubenitas, & Gaditas, & dimidiam Tribum Menaſchis.* Hoc certe accidit poſt ea, quæ narrata ſunt duobus ultimis verſibus Cap. præced. h. e. poſtquam jam Jehovah quietem dederat Populo ſuo, uti cohærentia hujus loci liquido demonſtrat. Conferri eum in finem meretur vs. 4. hujus Cap.

Idem hoc & pluribus aliis locis obſervandum, veluti Exod. XV. 1. Deut. IV. 41. Joſ. VIII. 30. X. 12. 1 Reg. III. 16. IX. 11. XVI. 21. 2 Reg. VIII. 22. XV. 16. XVI. 5. Pſalm LXIX. 5. 2 Chron. XXI. 10. Conferri de hac re meretur Ven. de Bruin Diſſ. laud. pag. 108. & ſeqq.

In Notis ad Noldii Lex. Partic. Num. 571. obſervatur ex Ab. Eſra ad Jeſ. XV. 1. (videtur ſphalma typographicum; Ab. Eſra hæc notat ad Exod. XV. 1.) quod Particula אז æque convertat Futurum in Præteritum, ac Præfixum Vav. At potiori jure ita mihi dicendum videtur, neque Particulam אז, neque Præfixum Vav unquam vere Futurum in Præteritum convertere. De Particula אז jam egimus, ejusque uſum analogum, quando in re præterita cum Futuro conſtruitur, vindicavimus. Quid vero dicendum ſit de Futuro, quando ſignatur cum Vav per (-) ſequente Dages forti, mox §. ſeq. inquirendum erit. Interim hoc facile conceſſerim, ſi rem ſpectes, plane ἰσοδυναμοῦντα eſſe, ſive

 dica-

dicatur מֹשֶׁה אָז יָשִׁיר five מֹשֶׁה וַיָּשַׁר Sic quando dicitur Jud. V. 1. וַתָּשַׁר דְּבוֹרָה prorſus idem eſt, ac ſi diceretur אָז תָּשִׁיר Et quando 1 Sam. II. 1. dicitur וַתִּתְפַּלֵּל חַנָּה mihi plane idem eſt, acſi dicas אָז תִּתְפַּלֵּל Hæc ut puto ex collatione eorum, quæ de uſu Particulæ אָז jam obſervavimus, cum iis, quæ de conſtructione Futuri cum Vav vulgo *Converſivo* dicto dicenda erunt, amplius illuſtrabuntur: ad quæ jam propero.

§. VI.

De uſu Futuri Hebræi cum Vav dicto Converſivo.

Venio jam ad decantatum illud Vav Conversivum Futuri, quod hactenus, quod ſciam, unanimi Grammaticorum ſuffragio, Futurum in Præteritum vertere creditum fuit; inde Hebræorum Magiſtris וו הִפּוּךְ dictum, ſeu *Vav Converſionis*, ut ita a וו חִבּוּר ſeu *Vav Copulativo* diſtinguatur. Singulari modo hoc Vav punctatur, nimirum per (-) ſequente Dages forti: adeoque etiam hic illud Vav ſingulari charactere a *Vav* ſimpliciter *Copulativo* diſcernitur, quod etiam ad *Vav Præteriti Relativum*, ſeu *Subjunctivum* obſervatum fuit ſuo loco. Immo præterea etiam hoc Vav Futuri ſingulari gaudet charactere ratione Accentus, quem ex ultima in penultimam ſyllabam retrahit, ubi id commode fieri poteſt; de quo conſulendi Grammatici. Circa hanc punctationem Præfixi Vav, quando *Converſivum* eſſe creditur, omnino mihi notandum videtur, eandem ejus eſſe punctationem, quæ Articuli ה Demonſtrativi, ſeu Em-

Emphatici; adeo ut ex. gr. וַיֹּאמֶר ſit quaſi וְהִיאֹמֶר & *ecce dicebat*. Quod jam obſervatum video a Cl. Viro Alb. Schultens, Magno illo Orientalium Linguarum Lumine, in ſuis Inſtit. ad Fundam. Ling. Hebr. §. CXLVI. Quæ vis Demonſtrativa, ſeu ſingularis Emphaſis hujus Præfixi Vav cum (-) & Dages forti ſignati, apprime mihi obſervanda videtur in iis, quæ de uſu & ſignificatione Futuri cum hujusmodi Vav ſignati, dicenda erunt.

Liceat mihi hac in parte communem Grammaticorum ſententiam deſerere: non putaverim hoc Vav Futuri vere *Converſivum* eſſe; atque originem hujus paſſim omnibus receptæ ſententiæ ex eo repetendam exiſtimo, quod Hebræorum Magiſtri, ubi Hebræa Lingua ipſis Vernacula eſſe deſiit, magis indolem ſeu genium Occidentalium, quam Orientalium Linguarum perſpectum habuerint, quodque non ſatis attenderint, Orientalium Linguarum indolem plane diverſam eſſe ab ea Occidentalium, præſertim hac in parte, quod Occidentales Linguæ agnoſcant Tempora Relativa, quum Hebræa Lingua non niſi tria Tempora Abſoluta habeat; quodque proinde viderint, Hebræos ſuo Futuro cum Vav dicto Converſivo, Tempus, quod abſolute & in ſe ſpectatum Præteritum eſt, ſignificare. Hoc lubens concedo, Futurum cum Vav dicto Converſivo maxime ſuo uſu tale deſignare Tempus, quod abſolute, & in ſe ſpectatum jam Præteritum eſt, quod non ſolum ex liquido ſenſu innumerorum fere locorum abunde pateſcit; verum etiam vel

Digitized by Google

vel exinde manifeſtum fit; quia hoc modo ſerie orationis decurrente, ut Vavva non immediate, ſed intercedente quodam vocabulo ſuo Verbo jungantur, tunc non Futurum, ſed Præteritum adhibere ſoleant Hebræi; quando hoc Præteritum venit ad deſignandum rem abſolute præteritam. Exempla ex multis aliis hæc duo tantum noto Deut. I. 26. Jud. I. 8.

Obſervavimus Diſſ. I. §. 7. atque hujus Diſſ. §. 2. quod ſicuti in re futura Præteritum, ſic & in re præterita Futurum obſervare liceat. Futurum vero in re præterita tale Tempus eſſe vidimus, quod poſterius, adeoque futurum eſt reſpectu Temporis præcedentis Præteriti, quodque diſtinctionis cauſa a Futuro Abſoluto *Futurum Relativum* dico, ſeu *Futurum in re præterita.* Quale Futurum Relativum in Vernacula aut Latina Lingua commode ſatis Imperfecto Præterito ſignificamus: ſi vero quam accurate fieri poſſit, vim hujus Futuri Relativi indicabimus, ante tale Imperfectum Præteritum addi poterit *dein*, aut *poſtea*; vel ſimilis quædam Temporis Particula, qua res ratione præcedentium ut poſterior vel ſubſequens ſignificetur; utque hoc pacto *Futurum Relativum* a *Præſenti Relativo*, quod maxime Imperfecto Præterito ſignificamus, diſcernatur.

Hic mihi jam primarius uſus atque poteſtas videtur Futuri Hebræi cum Vav dicto Converſivo, ut deſignet *Futurum quoddam Relativum*, ſeu *rem ratione Temporis præcedentis Præteriti poſteriorem*, *adeoque Futuram*; maxime quando de re præterita, uti ſæpiſſime fit, præ-

præſertim in Libris Hiſtoricis, uſurpatur: quale *Futurum Relativum* Hebræos ſæpe etiam ſuo Futuro nudo ſignificare, obſervavimus §. 2—5. hujus Diſſ. Hæc ſi ita ſint, uti ſpero ex locis mox ſubjiciendis extra omnem dubitationis aleam poſitum iri, illud Vav Futuri non erit vere *Converſivum*: nam licet res, quæ hoc Futuro ſignificatur, abſolute ſpectata ſit præterita, ex indole tamen Hebrææ Linguæ nobis ſiſtitur, atque manet relative futura; adeoque potiori jure illud Vav Futuri dicerem *Vav Relativum.* Hoc obſervato, Hebræa Lingua, utut Temporum inops, longe tamen perfectiori atque ſignificantiori modo Tempora Relativa, hac ſaltem in parte, ſignificare valebit, ac noſtra Vernacula aut Latina Lingua: nam proprie & ſine periphraſi tale Futurum Relativum ſignificare nobis non licet; uti Hebræi id faciunt ſuo Futuro relative ſumto.

Idem illud, quod hic de uſu Futuri Hebræi cum Vav vulgo dicto *Converſivo* dico, quodammodo jam obſervaſſe mihi videtur Ven. de Bruin Diſſ. laud. pag. 36. & ſeq. quando dicit: *ubi præcedit Præteritum, & eodem in ſermonis tenore ſequitur Futurum cum Vav Converſivo; primum per Plusquamperfectum, alterum per Imperfectum Indicativi ἀναλόγως reddo.* Quæ ipſi eſt Obſervatio ſexta. Quod ſi rem ipſam ſpectes, idem fere erit cum iis, quæ hic obſervo. Nam ſi ex. gr. Verba מי עלה שמים וירד reddas: *quis ubi adſcenderat Cælos, deſcendebat rurſum?* tunc Futuro וירד vere ſignificabitur poſterius ſeu futurum quid ratione

tione præcedentis Præteriti עלה atque hoc modo Præterito עלה deſignabitur prius ſeu antecedens quoddam. Verum præterquam quod talis vertendi modus mihi paullo durior videtur, atque eo non niſi ſatis obſcure vis Futuri Relativi ſignificatur, etiam hæc Regula ſeu Obſervatio nimis arctis limitibus circumſcripta eſt: nam non tantum hic Futuri Relativi uſus obſervandus poſt præcedens Tempus Præteritum; verum & poſt quævis alia præcedentia Tempora: quum Futurum hic mihi ſemper Futurum maneat, ſive de re præterita, ſive præſenti, ſive etiam de futura ſermo ſit.

Si vero hic paullo penitius in interiorem naturam atque indolem Hebrææ Linguæ penetremus, ita fere hac in parte ſentirem; quod hoc Vav Futuri ſignatum per (-) ſequente Dages forti, proprie ſit Vav quoddam *Demonſtrativum* ſeu *Emphaticum*; quodque Hebræi hoc Vav Futuro præfigant, ubi ſingularem quendam ſeu emphaticum nexum cum præcedenti Tempore ſignificare volunt: maxime vero uſu invaluiſſe, hujusmodi Vav *Emphaticum* Futuro præfigere, quando hoc Futurum ſiſtunt ut dependens a præcedenti Tempore Præterito, atque ut ejus ratione poſterius, ſeu relative Futurum. In ſequentibus enim videbimus, interdum hoc Futurum cum *Vav Emphatico* vel *Relativo* ſignatum Futuro Tempore reddendum eſſe; atque tunc maxime ſingularem quendam atque emphaticum nexum cum præcedentibus ſignificare.

Si

Si jam quis ea, qua par eſt attentione præſertim Libros Hiſtoricos legat, facile iis, quæ dico, ſi quid judico, adſentietur; quum quævis pagina, ne dicam ſinguli fere verſus primarium hunc Futuri Hebræi cum *Vav Emphatico* uſum nobis commonſtrent: quod Vav inde merito *Vav Relativum* dixeris. Exempli loco ſint ſequentia loca.

Gen. XIV. Per totum fere hoc Caput, ubi ſæpius recurrunt Futura cum *Vav Relativo*, hoc obſervare licet, quod hiſce Futuris tale deſignetur Tempus, quod ratione præcedentium poſterius, adeoque Futurum eſt in illa re præterita; quodque, ſi omnem vim hujus Futuri Relativi reddere velimus, Præterito Imperfecto vertendum erit, additis his illisve Particulis Temporis ſucceſſum notantibus, uti *poſtea*, *porro*, *deinde*, ſimilibusve. Ita vs. 14, 15, 16. hoc modo ſecundum vim Futuri Relativi vertendos eſſe cenſeo: *& poſt hæc audiebat Abram, quod captivus abductus erat cognatus ejus; & dein producebat Vernas ſuos a ſe inſtructos trecentos octodecim, & dein perſequebatur ad Danem usque: atque tunc noctu diſtribuebat ſe contra eos, ipſe & ſervi ejus; & dein percutiebat eos, & poſtea perſequebatur eos ad Chobam usque, quæ eſt a ſiniſtra Damaſci: & dein reducebat omnem facultatem, atque etiam Lotum cognatum ſuum; & facultatem ejus reducebat, atque etiam uxores & populum.* Gen. XIV.

Hoc non adeo volo, ut in hoc ſimilibusque aliis Exemplis ſemper in verſione addatur aut repetatur hujusmodi temporis Particula: indoles cujusque Linguæ hic obſervanda.

da. Hoc tantum volo, quod Hebræi ſuo Futuro Relativo ſignificent Tempus quoddam poſterius ratione præcedentis Temporis Præteriti, quod paſſim in narratione rei præteritæ obſervare licet; ubi maxime res ſecundum ordinem Temporis, altera alterâ poſterior narrantur; adeo ut paſſim inter varias hiſtoriæ partes quidam detur temporis ſucceſſus. Nos vero noſtro Imperfecto ſolo hoc non adeo ſignificamus, quia noſtrum Imperfectum Præteritum proprie eſt Præſens Relativum, ſeu rem ſiſtit plane contemporaneam cum præcedenti re præterita, ut ſuo loco vidimus. Sæpe tamen fit, ut quam commodiſſime ſimiles temporis Particulæ ſuppleantur, quod & interdum ab Interpretibus obſervatum video; non adeo, ut ſuſpicor, quod putaverint id vim Futuri Relativi requirere, ſed quia ipſa natura atque nexus rerum id flagitare videbatur, atque hoc pacto ordo Temporis in re hiſtorica paullo clarius indicabatur. Sic in Verſione Junio-Tremelliana Gen. XXI. 20. ante hoc Futurum additur *deinde*. ויהי יהוה את הנער ita reddunt: *deinde adfuit Deus iſti puero.* Sic etiam Gen. XXII. 19. & ſæpiſſime alibi. Simili modo Belgæ Interpretes ante hoc Futurum cum Vav Relativo ſæpe amant ſimiles temporis Particulas ſupplere veluti *voorders*, *daar naa*, *wyders*, ſimilesque: uti præter innumera alia loca id videre licet Joſ. III. 10. V. 9, 13. VI. 12. VII. 3. IX. 21. X. 22, 36. XI. 1. XVI. 1. XVII. 17. XIX. 10. XX. 1. XXI. 9. XXIV. 1. 2 Reg. XIII. 18, 20. Sic

&

Digitized by Google

& paſſim in Libris Propheticis Jeſ. VI. 8. VIII. 5. Jerm. I. 11. III. 6. XXVIII. 1. XXXIII. 1, 23. Ezech. III. 1, 10. IV. 16. VII. 1. IX. 1. X. 1. XII. 1, 17, 26. XIV. 1, 12. XVI. 1, 9. XVII. 11. XVIII. 1. Zach. VII. 8. VIII. 1. & alibi.

Noldius in ſuo Lexico ad Partic. ו Num. 40, 41. magnam citat locorum copiam, ubi Vav ſignificaret *porro* aut *poſtea* : verum maxima ex parte talia ſunt loca, ubi iſte temporis ſucceſſus, qui deſignatur Particulis *porro* aut *poſtea*, non adeo ſignificatur Copula ו, quam vi Futuri Relativi.

Sæpe etiam fit, quando in narratione hiſtorica tranſitus fit ad hiſtoriam poſterioris vel ſequentis temporis, quodque ſignari ſolet verbo ויהי vel ſimili quodam Futuro Relativo, quod etiam præterea expreſſis verbis iſte temporis ſucceſſus, vel poſterioris temporis nota hoc vel illo modo ſignificetur ויהי אחרי הדברים האלה vel ויהי אחרי כן uti paſſim in Libris Hiſtoricis id obſervare licet. At ſæpe etiam in ſimili tranſitione hiſtorica dicitur ויהי בעת ההיא aut ויהי בימים ההם Quod mihi ſic vertendum videtur: *dein erat*, vel *accidebat eodem illo tempore*, vel *iisdem illis diebus*. Quo pacto hic duplex temporis nota obſervari poterit; altera magis generalior, qua illa res acciderit eodem tempore, vel iisdem illis diebus, de quibus in præcedentibus ſermo fuerat: altera vero ſpecialior, qua illa res acciderit poſt rem in proxime præcedentibus narratam.

§. VII.

In ejusdem hujus rei probatione continuatur.

Ut vero eandem hanc rem clariori luci exponam, atque eo ipſo certiorem reddam, lubet mihi unum & alterum inſigne Exemplum addere.

Gen. XXVI. 27.-32.

Gen. XXVI. 27—32. Hanc pericopam obſervata vi Futuri cum Vav Relativo ita fere reddendam eſſe cenſeo: *dein dicebat iis Iſaäc: quare veniſtis ad me, & vos odiſtis me; & dein,* vel *propterea* * *dimiſiſtis me a vobis. Dein dicebant: omnino vidimus, quod Jehovah tecum fuerit: dein,* vel *propterea dicebamus; ſit jusjurandum inter nos, inter nos & te; & pangamus fædus tecum. Si facturus ſis nobiscum malum, ſicuti nos te non tetigimus, & ſicuti fecimus tecum nil niſi bonum; & dein dimiſimus te in pace; te qui nunc es benedictus Jehovæ. Dein parabat illis convivium, & poſtea edebant & bibebant. Dein ſurgebant mane, & porro jurabant invicem: & poſt hæc dimittebat eos Iſaäc; & dein abibant ab ipſo in pace.* Quivis & hic facile viderit, hiſce Futuris cum Vav Relativo vel Emphatico continuo quendam temporis ſucceſſum notari, ſeu tempus poſterius reſpectu præcedentis; atque hunc eſſe ſtylum Hebræis admodum conſuetum atque familiarem, quin & fere perpetuum in narratione hiſtorica.

Jos.

* Quod ſæpe ea vis ſit hujus Vav Futuri Emphatici, ut vertendum ſit *propterea*; quodque adeo quoddam conſequens reſpectu ſui antecedentis, quod non tantum ratione temporis, ſed & ratione rei poſterius eſt ſuo antecedenti, eo deſignetur, de eo infra uberior dicendi erit locus §. X.

Jos. XXII. 2. Poſtquam Joſua dixerat: *Vos ſervaſtis omne id, quod juſſit vobis Moſes ſervus Jehovæ*, hæc addit ותשמעו בקולי לכל אשר צויתי אתכם *Et dein (ſcilicet poſt mortem Moſis) audiviſtis voci meæ in omnibus, quæ præcepi vobis.* Joſ. XXII. 2.

Gen. I. 3. יהי אור ויהי אור *Sit lux, & dein erat lux.* Similem fere conſtructionem obſervare licet Pſalm XXXIII. 9. CV. 31, 34. Exod. XX. 11. *Nam ſex diebus fecit Jehovah Cælum & Terram; Mare, & omne quod in iis eſt;* וינח ביום השביעי *Et dein quievit die ſeptimo.* Gen. I. 3.

Psalm LXVI. 12. Ubi poſt varias Tempore Præterito memoratas adflictiones, additur ותוציאנו לרויה *Dein eduxiſti nos in hanc ubertatem.* Junius & Tremellius vertunt: *tandem eduxiſti nos ad hanc ſaturitatem.* Pſalm. LXVI. 12.

Prov. XXX. 4. מי עלה השמים וירד *Quis adſcendit Cælum, & poſtea deſcendit?* Ubi vi Futuri Relativi τὸ *deſcendere* ut poſterius quid obvenit ratione *adſcenſus.* Prov. XXX.

Idem hic Futuri cum Vav Emphatico ſeu Relativo uſus paſſim, immo ſingulis fere verſibus, præſertim in Libris Hiſtoricis obſervari poterit: præ cæteris hic conferri merentur hæc loca Gen. XLV. 24—XLVI. Deut. I. 14—Joſ. XXIV. 1—14. 1 Sam. XII. 8—13. 2 Sam. IV. 7, 8. 1 Reg. VIII. 66. 2 Reg. VIII. 24. Nah. III. 16. Pſ. LXXVIII. fere totus. Pſalm CII. 5, 11. CV. 9—CVI. 7—CVII. ſæpius. CXXXVIII. 3. Eccl. IV. 1. 2 Chron. VI. 6—13.

§. VIII.

Quædam limitationes hic obſervandæ.

Verum ut his illisve objectionibus, quæ facile hic moveri poſſent, anſa præcidatur, omnino hac in parte obſervandum erit:

I. Ad quodnam præcedentium Temporum Futurum hoc Relativum referendum ſit: nam ea relatio non ſemper eſt cum proxime, aut immediate præcedentibus; ſed interdum hoc Futurum dependet a Tempore aliquo præcedenti remotiori: quod tamen facile ex ipſis locorum circumſtantiis erui poteſt. Sic quando dicitur 1 Reg. XXII. 43.

1 Reg. XXII. 43.

וילך בכל דרך אסא אביו *Et dein ambulabat in omni via Aſæ patris ſui.* Hæc verba ratione ordinis ſeu ſucceſſus Temporis mihi non adeo referenda videntur ad vs. 42. proxime præcedentem; (ubi narratur, quot annos habuerit iſte Rex, quando regnare incipiebat, quotque annos regnaverit,) ſed ad vs. 41. hoc modo: *Et Joſaphat filius Aſæ regnare incipiebat ſuper Judam Anno quarto Achabi*, —— *& ambulabat*, vel, *& dein ambulabat in omni via Aſæ patris ſui.* מלך hic & ſæpius alibi, ſignificat *rex creari*, aut *regnum ſuſcipere*. Quod vel ex hoc ſolo loco ſatis fit manifeſtum. Idem fere notandum ejusdem Cap. vs. 53. ויעש הרע בעיני יהוה Quæ verba maxime ratione temporis dependent a Verſus 52. parte priori, hoc modo; אחזיהו בן אחאב מלך על ישראל —— ויעש הרע בעיני יהוה *Achaziah filius Achabi rex fiebat ſuper Israëlem*, —— *& dein faciebat quod malum eſt in oculis Jehovæ.*

Digitized by Google

Jehovæ. Sed hic fere objectionis loco eſſe poſſet, quod dentur loca, in quibus tantum dicitur: *hic aut ille Rex regnavit tot annos,* וגו׳ ויעש *& dein fecit malum in oculis Jehovæ.* Quod ſenſum plane incommodum funderet. Hujusmodi loca Vid. 2 Reg. XV. 17, 18, 23, 24, 27, 28. & alibi. Verum in his locis, atque aliis parallelis ſupplerem וימלך quod & paſſim a Belgis interpretibus obſervatum video; hoc ſenſu: *hoc* vel *illo tempore Rex creatus fuit*; *& regnavit tot annos.* Hujusmodi Ellipſis vel ex ipſis his locis ſatis probatur. Sic 2 Reg. XV. 27. dicitur: *Anno quinquageſimo ſecundo Azariæ Regis Judæ regnavit Pekach viginti annos.* Certe in uno anno Regis Azariæ Pekach non potuit regnare viginti annos: atque adeo hoc vel ſimili modo hæc verba ſupplenda erunt: *Anno quinquageſimo ſecundo Azariæ regnare cæpit Pekach, & regnavit viginti annos.* Hoc modo hic erit figura rhetorica, quæ Syllepſis ſeu Brachylogia dicitur, quam & ſupra obſervavimus hujus Diſſ. §. I. ad locum Jeſ XXXIX. 3.

II. Secundo loco hic notandum, ſæpius fieri, ut primo quædam generalius præmittantur, quæ dein ſpecialius aut per partes repetuntur; in quo præſertim ſingularis Hebrææ Linguæ genius obſervandus. Sic admodum ſolitum eſt Hebræis, in continuatione narrationis alicujus hiſtoricæ præfigere Verbum ויהי/ ubi non adeo iſta temporis ſucceſſio notanda venit; quippe quod ita in genere præmittitur, plane idem eſt, quod mox per partes repetitur. Sic ex. gr. Gen. XXI. 22.

 dicitur

dicitur ויהי בעת ההיא ויאמר אבימלך. Quæ verba proprie ita ſonant : *& dein erat eodem illo tempore, & dicebat Abimelech.* Ubi ויהי quod ad rem ipſam attinet, abeſſe poterat, & tantum ſingularem ſtylum ſeu Genium Linguæ arguit: nam ſi rem ſpectes, hic nihil aliud ſignificatur, quam ſi diceretur: ויאמר אבימלך בעת ההיא

Idem illud etiam ſæpe obtinet in Verbo ויען ſequente ויאמר ut 2 Sam. IV. 9. & alibi.

Interdum etiam hoc fit aliis Verbis generalioribus, ſeu generalioris ſignificationis. Joſ. IV. 8. ויעשו כן בני ישראל — וישאו שתי עשרה אבנים מתוך הירדן *Atque ita faciebant Filii Israëlis — & tollebant duodecim lapides e medio Jordanis.* Simile quid videre licet Joſ. X. 23. XXII. 21. 1 Reg. XXII. 53. & alibi. Idem hoc etiam mihi obſervandum videtur. Joſ. VII. 1. וימעלו בני ישראל מעל בחרם ויקח עכן — מן החרם. Ubi quod primo de Filiis Israëlis in genere dictum fuerat, dein ſpeciatim de Achane dicitur; adeo ut verba ויקח עכן מן החרם ſic fere redderem : *ſpeciatim*, vel *præ cæteris vero accipiebat Achan ex anathemate.* Sic etiam Pſalm CVI. quæ primo generalius dicta erant vs. 8. dein ſpecialius & per partes repetuntur verſibus 9, 10, 11.

III. Quia vero, uti jam obſervatum dedimus, hocce Futurum cum ſuo Vav Relativo non ſemper ab immediate præcedenti tempore dependet, verum interdum a tempore

pore aliquo præcedenti remotiori, quod ex rei argumento facile paſſim elicitur; hinc fit, ut interdum hoc Futurum ex indole Europæarum Linguarum, quæ hac in parte ab Hebræa differunt, Plusquamperfecto Tempore commode vertatur, quale Tempus Hebræi proprie ignorant. Hic cujusque Linguæ indoles obſervanda: Hebræi tale Futurum Relativum dependens ſiſtunt a tempore quodam remotiori; idque ſæpe ex ipſius rei argumento ſatis liquet; ſin minus, id ſummaria quadam ex præcedentibus repetitione ſignificant. Conferri hic meretur Diſſ. I. §. 8. & Diſſ. II. §. 6. Nos vero noſtro Plusquamperfecto Tempore rem ſignificamus ratione proxime præcedentium jam præteritam. Adeoque obſervato ſingulari genio Hebrææ Linguæ, nulli Anomaliæ aut Temporum Enallagæ hic locus erit, quod ex ſubjectis locis liquido conſtabit.

1 Chron. X. 13. וימות שאול במעלו אשר מעל ביהוה *Et mortuus erat Saul in ſua prævaricatione, qua prævaricatus erat contra Jehovam.* Hic quivis facile animadvertit ex præcedentibus repeti narrationem mortis Saulis, nimirum ex vs. 6. hujus Capitis, ubi ratione ordinis temporis hæc hiſtoria proprie collocanda erat: verum ea hic repetitur hoc ſpeciali ſcopo, ut cauſa & circumſtantiæ mortis Saulis hic enarrentur: adeoque quia וימת ab ulterius præcedenti dependet ratione temporis, ex idiomate Latinæ Linguæ Plusquamperfecto Tempore vertendum erit.

1 Chron. X. 13.

Jeſ. XXXVIII. 21, 22. Jes. XXXVIII. 21, 22. ויאמר ישעיהו ישאו דבלת תאנים וגו׳ ויאמר חזקיהו מה אות וגו׳ *Et dixerat Jeſaïas: ſumant palatham ficuum* &c. *& dixerat Hiskias: quodnam erit ſignum* &c. Utrumque ויאמר hic omnino Plusquamperfecto vertendum eſt: nam totus hujus hiſtoriæ contextus nobis ſatis ſuadet, utrumque ויאמר ratione ordinis temporis non dependere a proxime præcedentibus, ſed a remotiori quodam temporis articulo; nimirum quando Jeſaïas nomine Dei Hiskiæ vitæ prolongationem addixerat, uti eſt vs. 5, 6. Atqui hæc Hiskiæ oratio, quæ proxime vs. 21, 22. præcedit, ab ipſo prolata eſt, poſtquam jam ex ſuo lethali morbo convaluerat; uti ex inſcriptione & ipſo argumento videre licet.

Idem illud obſervandum Jeſ. XXXIX. 1. Joſ. XIII. 15, 24, 29. ubi ויתן Plusquamperfecto reddendum eſt: *& dederat Moſes.* Nam hic repetuntur ea, quæ jam Moſis tempore acciderant. Conferri hic meretur Sal. Glasſius Lib. III. Gramm. Sacr. Tract. III. Can. 46.

§. IX.

Ab iis, quæ jure objici poſſe videntur, noſtrum adſertum vindicatur.

Verum non parum huic meæ Obſervationi obſtare videtur, quod proferantur loca, ubi hoc Futurum cum Vav Relativo reddendum foret per *poſtquam*; etiam ubi nulla remotior occurrit temporis nota, a qua tale Futurum Relativum ut poſterius quoddam dependeat; hoc modo enim plane contrarium quid iis, quæ dixi, hoc Futuro cum Vav conſtructo ſignificaretur: nimirum tale tempus, quod non

non poſterius, ſeu Futurum eſt ratione præcedentium; ſed quod prius, adeoque jam Præteritum ſiſtitur ratione præcedentium. Sic Cl. Vitringa in Comm. ad Jeſ. LXIV. 5. loca profert, ubi Vav per (-) ſequente Dages forti Futuro præfixum non ſit conſequentis, ſed antecedentis ſeu cauſalis: uti & Doct. Bochartus P. I. Hieroz. Lib. II. Cap. XLIX. pag. 543. & Lib. III. Cap. X. pag. 823. Varia etiam hujusmodi loca citat Noldius in Concord. Part. ad Vocem ו Num. 42. Verum ut dicam, quod mihi hac in parte videtur, inſignis pars horum locorum commode ſatis ad Analogiam reducitur ex iis, quæ §. præced. Num. 3. obſervavi: quum multi etiam eorum locorum, præſertim quæ hic profert Noldius, plane immerito huc transferri mihi videantur. At vero præ cæteris aliquam exceptionis ſpeciem mihi habent hæc loca: Joſ. VII. 25. Job. XIV. 10. Jeſ. LXIV. 5; quibus addi poſſunt Job II. 3. & X. 8. Liceat mihi hæc loca breviter illuſtrare, & quantumpote ad Analogiam reducere; ne facilis videar in exceptionibus admittendis.

Jos. VII. 25. Hæc verba ויסקלו אתם באבנים paſſim ab Interpretibus hoc modo redduntur: *poſtquam obruiſſent eos lapidibus.* Atque ſic rem concipiunt, quod lapidatio, quæ his Verbis ſignificatur, acciderit ante combuſtionem: atque adeo hiſce verbis idem ſignificabitur, quod jam antea deſignatum erat Verbis, וירגמו אתו At nonne hoc modo hic inanis erit ejusdem rei repetitio? Eſt locus ſane ſubobſcurior; quis nobis dabit om- Joſ. VII. 25.

nes particulares hujus rei circumſtantias, niſi quatenus ex ſolo hoc Commate elici poterunt? Primo de ſolo Achane in ſingulari numero dicitur, *quod lapidaverint eum*; dein vero in Plurali, *quod ipſe cum ſuis igne combuſtus ſit, & tunc lapidibus obrutus.* Nihil ſane hic tutius erit, quam evitata inani ejusdem rei repetitione, quam ſtrictiſſime ipſis verbis textus inhærere, atque hoc fere modo rem concipere: quod primo Achan, forte ſolus, lapidatus ſit a cœtu Israëlis, (ſive ad mortem usque, ſive non, quod in medio relinquo.) Secundo narratur, quod Achan cum ſuis combuſtus ſit igne. Tertio loco narratur, quod poſt hæc, ſcilicet poſt combuſtionem, ipſum cum ſuis lapidibus obruerint; atque altera hæc lapidatio commode hoc modo concipi poterit, quod Filii Israëlis, forte furore quodam in Achanem abrepti, oſſa atque cineres lapidibus petierint, & tegere cœperint; ubi poſtea, veroſimile ad mandatum Joſuæ aut Seniorum, magnum lapidum acervum cumularunt, uti narratur vs. 26. Atque hoc modo rem concepiſſe videntur Belgæ Interpretes. Conferri hic etiam meretur Guſſet. in Lex. ad Vocem רגם

Job. XIV. 10. Job. XIV. 10. גבר ימות ויחלש Cl. Bochartus aliique hæc reddunt: *at morietur vir, poſtquam debilitatus fuerit.* Atque hoc modo exiſtimant, hic Verbo חלש indicari quandam virium debilitationem ſeu morbum, qui mortem antecedere ſolet. Verum licet ita ſit, uti & fatetur Cel. Schultens ad h. l., ut genuina hujus radicis notio adhucdum lateat, putem tamen ex cohærentia hujus loci ſatis liquere,

liquere, quod Verbo חלש hic ſaltem tale quid deſignetur, quod non ante, ſed poſt mortem hominis locum obtinet. Tribus præcedentibus commatibus, ſimile quoddam ab arbore petitum propoſuerat Jobus, quæ ſucciſa, iterum propullulat; aut quæ ſenio emortua, ſæpius tamen e ſuis radicibus progerminabit. Cum hoc ſimili jam confert Jobus hominem, ſeu vitam hominis, atque ex hac collatione diſſimile quid, ſeu contrarium in homine detegit, qui ſemel mortuus non reviviſcet, ſed magis magisque in ipſo omnis ſuccus vitalis perit atque conſumitur. Quod obſervare mihi hactenus pro ſcopo meo ſufficit: atque adeo vi hujus ſimilis ſeu diſſimilis hoc fere modo hunc locum reddere licebit: *at morietur vir, atque dein putreſcet,* vel *omnis vitalis humor in ipſo plane exareſcet.*

Jes. LXIV. 5. הן אתה קצפת ונחטא בהם עולם ונושע Locus hic eſt ſatis dubius, variisque interpretationibus obnoxius; adeoque nihil fere certi ex hoc loco concludi poterit. Forte non incommode, ſalva etiam vi Futuri ונושע hic locus ſic reddi poterit: *ecce tu efferbuiſti; nos vero peccabamus*, ſeu *tamen in peccatis pergebamus: in iis per longum tempus; & an ſalvaremur?* Maxime obſcurus eſt hic locus ratione Verborum בהם עולם quorum diverſas Interpretum ſententias ac verſiones videre licet apud Cl. Vitringam ad h l. Verba certe elliptica ſunt, adeoque ſubobſcura, quum non ſatis liqueat, quid ſupplendum, aut quorſum vox בהם ſit referenda. Simpliciſſimum atque vero proximum mihi vide- Jeſ. LXIV. 5.

videtur, quod בהם referendum ſit ad vocem חַטָּאִים quod hic ex Verbo ונחטא repeti atque ſuppleri poteſt: * atque ſimul ſupplendum Verbum Subſtantivum הָיִינוּ vel ſimile quoddam, hoc modo בהם היינו עולם *in illis*, (ſcilicet *peccatis*) *fuimus per longum tempus*. Adeoque hoc modo hic orietur ſenſus plane commodus, in quo Temporum Analogia, ſimulque Accentuum poteſtas ſervatur: *Ecce tu efferbuiſti* [*in nos*;] *nos tamen peccabamus dein*, (vel *in peccatis pergebamus*;) [*immo*] *in iis*, (ſcilicet *peccatis*) *per longum tempus fuimus*, (vel *perſeveravimus*;) & *an ſalvaremur*? Quod ונושע interrogative reddam, id mihi res ipſa ſatis flagitare videtur, atque vis Futuri Temporis. Hæc interpretatio etiam belle mihi convenire videtur cum Verſibus duobus ſequentibus, ubi Futura cum Vav Relativo ſic reddo: *atque inde*, vel *propterea ſumus ut impurus* &c. De qua vi Futuri cum Vav Emphatico vel Relativo conferri merentur, quæ mox §. ſeq. dicturi ſumus.

Job. II. 3. JOB. II. 3. Ubi Deus hæc de Jobo dicit ועדנו מחזיק בתמתו ותסיתני בו לבלעו חנם Hoc modo fere ab Interpretibus hæc verba redduntur: *& adhuc retinet ſuam integritatem, poſtquam me incitaſti in illum ad perdendum eum ſine ratione.* Adeo ut Futuro ותסיתני non poſte-

* Hujusmodi Ellipſes nominis ex præcedenti Verbo ſupplendi aut repetendi in S. Codice ſatis ſunt frequentes. Conferri hic meretur Lev. IV. 2. Vid. Glaſſ. Lib. IV. Philol. Sacr. Tract. II. Obſ. 5.

Digitized by Google

poſterius ſeu conſequens, ſed aliquid prius ſeu antecedens ſignificaretur. Verum minime neceſſe eſt, hic ſingularem adeo, atque prorſus inſolitum uſum huic Futuro tribuere. Plus quam veroſimile mihi eſt, quum jam altera vice Satanas ſe coram Deo ſiſtebat, quod & tunc etiam altera vice Deum contra Jobum incitaverit, quod & ex vs. 4. & 5. ſatis liquet. Atque adeo hic iteratus Satanæ conatus ad incitandum Deum contra Jobum, commodiſſime hic concipitur ut poſterior ſeu ſequens poſt prima vice probatam Jobi ſinceritatem. Hoc modo itaque verterem: *& adhuc retinet ſuam integritatem; & poſt hæc incitas me, ad perdendum eum ſine ratione.* Vel forte interrogative: *& an poſt hæc incitares me in illum?* Quod mihi hac in parte perinde eſt. Eodem plane modo Futurum ותבלעני mihi obvenit Job X. 8. quod ſic reddo: *& poſt hæc abſorbes me.* Vel forte etiam interrogative vertendum: *& an abſorberes me?*

Job. X. 8.

Job. X. 8. ידיך עצבוני ויעשוני/ Belgæ Interpretes, itemque Junius & Tremellius hoc fere modo reddunt: *manus tuæ dolore adficiunt me, quæ fecerunt me*, vel *quamvis fecerint me.* Hoc pacto certe Futurum ויעשוני erit præteritum ſeu antecedens quoddam reſpectu τοῦ עצבוני. Verum omnino hic conſuli meretur Cel. Schultens ad h. l. qui vertit: *manus tuæ nervis colligarunt, & effecerunt me.* Hoc modo τὸ *efficere* ſeu *perficere* erit poſterius quid ratione *colligationis nervis*, ſimili deſumto a quodam artifice; atque hac verſione illud

vere-

ὕστερον πρότερον, quod alias huic loco ineſſe creditur, ultro evaneſcet. *

§. X.

Futurum cum ו Relativo ſæpe inſervit denotando aliquod conſequens, quod non tantum tempore, ſed & natura ſua poſterius eſt ſuo antecedenti.

Obſervato hoc Futuri cum Vav Emphatico ſeu Relativo uſu, quatenus Futurum ſeu poſterius quid in re præterita indigitat; quumque tale Tempus apte inſerviat ad denotandum aliquod conſequens, quod non tantum tempore, verum etiam ſua natura poſterius ſeu Futurum eſt reſpectu antecedentis, hinc fit, ut Hebræi ſæpe hoc Futuro cum Vav Relativo ſeu Emphatico utantur ad denotandum aliquod conſequens, quod ſingularem quendam nexum habet cum ſuo antecedenti: adeo ut non tantum ſignificetur unum poſt alterum fieri; ſed & unum fieri propter alterum: quando hoc Vav Futuri commode per *propterea*, *quamobrem*, *ideo*, vel ſimili quadam Particula illativa reddendum erit. Hæc vero ſingularis vis Futuri cum ו Emphatico proprie loquendo, & ſi rem ſtricte putare velimus, non adeo ſignificatur hoc Futuro relative ſumto; nam id tantum ſignificat unum poſt alterum fieri: nec proprie ea vis latet in copula Vav, utpote quæ *propterea* vere ſignificaret. Ex indole Hebrææ Linguæ Vav eſt copula quaſi generalis, quæ omnibus

* Sæpius obſervavi Interpretes nimis fuiſſe proclives, ubi locus hac in parte paullo obſcurior videbatur, ad hujuſmodi anomalum uſum Futuri cum ו Relativo agnoſcendum; uti 1 Sam. VII. 6. Zach. VII. 14. & alibi. Sed videtur mihi fallax & inane Κενοσφύγελον.

omnibus copulandi modis inſervit pro vario rerum nexu. * Adeoque formalis ratio, quare interdum hoc Vav Futuri per *propterea* vertendum ſit, potius in ipſa rerum natura, earumque ad ſe invicem nexu fundata erit: atque ſimul etiam ſingulari adeo atque emphatico nexui denotando, Emphaticam hujus Vav Futuri punctationem, quam ex ה Demonſtrativo tranſſumſiſſe videtur, inſervire crederem. Singularem hunc uſum Futuri cum Vav Emphatico abunde probabunt ſequentia loca.

Gen. VIII. 9. *Non inveniebat columba quietem plantæ pedis ſui*, ותשב אליו אל התבה *Et dein*, vel ſi magis nexum rerum attendas, *& propterea revertebatur ad eum in arcam.* Gen. VIII. 9.

Gen. XXVI. 27—32. Hunc locum ſupra jam §. VII. alio fine citavimus. Hic tantum noto, vs. 27. ותשלחוני מאתכם pro nexu rerum vertendum eſſe: *ac propterea dimiſiſtis me a vobis.* Sic vs. 28. ונאמר verterem: *ac propterea dicebamus.* Gen. XXVI. 27—32.

Jos. VII. 1. Ubi poſt memoratam totius Iſraëlis, & præſertim Achanis prævaricationem, Joſ. VII. 1.

* De hac generali copulandi vi Particulæ ו conferri meretur Cl. Guſſet. in Lex. ad V. ו. & Lœſcherus de Cauſis Ling. Hebr. Lib. II. Cap IX. §. 6. Noldius in ſuo Lex. Partic. mirum in modum varias hujus copulæ ſignificationes adauget. Poſſet quidem eo nomine excuſari, quod tantum docere voluerit, quam vario modo hæc Particula pro vario rerum nexu in Latina aut alia Europæa Lingua verti queat. At nihilominus inſignis harum ſignificationum pars jure merito expungenda mihi videtur, atque magis confuſioni quam illuſtrationi inſervire.

tionem, adjicitur: ויחר אף יהוה בבני ישראל *propterea exardebat ira Jebovæ in Filios Israëlis.* Quam verſionem etiam hic res ipſa ſatis poſtulat, atque idem hoc a Junio & Tremellio rite obſervatum fuit, uti etiam ſæpius aliis in locis. Familiariſſimum etiam hoc eſt in S. Codice, ut poſt memoratum aliquod peccatum ſubjiciatur ויחר אף יהוה

Eandem hanc vim Futuri cum Vav Emphatico ſæpiſſime obſervare licet, Exod. II. 2, 3. Jeſ. XLII. 25. LXIII. 10. Ezech. XVI. 50. Pſ. LXXXI. 13. CVI. 40, 41, 42. Job VIII. 4. & ſæpius alibi. Quia vero ex rei natura conſequens poſterius eſt ſuo antecedenti, hinc etiam factum videtur, atque uſu invaluiſſe, ut Hebræi ſuo Futuro cum Vav Relativo utantur ad deſignandum aliquod conſequens, etiam ubi hoc conſequens non adeo ut poſterius quid venit ratione temporis, quam quidem maxime ratione rei; uti ex his locis liquere poterit.

Pſ. CXLIV. 3. Psalm CXLIV. 3. יהוה מה אדם ותדעהו בן אנוש ותחשבהו *Jebova, quid homo eſt, ut cognoſcas eum; filius hominis, ut æſtimes eum?* hoc eſt, quod ad rem, *ut propterea cognoſcas*, vel *æſtimes eum.* Conferri hic meretur Jeſ. LI. 12, 13.

Prov. IV. 3, 4. Prov. IV. 3, 4. *Nam filius eram patri meo: tenuis & unicus coram matre mea* וירני ויאמר לי יתמך דברי לבך *Propterea docebat me, dicebatque mihi: verba mea teneat cor tuum.* Hoc enim, quod pater ipſius fuerat, & tantopere a matre ſua dilectus, cauſa ſeu ratio erat,

quare

quare ipſum inſtrueret. Quibus plura alia loca addi poſſent.

§. XI.

Immo vero ſingularis hic atque Emphaticus uſus hujus Vav Futuri vel ex eo mihi magis confirmatur atque illuſtratur, quod quum maxime in re præterita adhibeatur ad deſignandum Futurum aliquod Relativum, uti jam vidimus, ſæpe tamen etiam veniat in re abſolute futura, atque in Vernaculis Linguis Futuro Tempore vertendum ſit: quando non tantum rem ſimpliciter ut futuram præcedenti tempori adjungit, quod Hebræi faciunt ſuo Vav ſimpliciter Copulativo, verum inſuper ita rem priori rei ſubjungit, ut effectum ſuæ cauſæ, vel conſequens ſuo antecedenti, vel alio quodam modo Emphatico; quandoque adeo hoc Vav Emphaticum per Particulas *ideo*, *propterea* vel ſimiles reddi amat. Maxime vero hoc locum obtinet, quando præcedens Tempus, cui hoc Futurum cum Vav Emphatico aut Relativo ſubjungitur, Præſens aut Futurum Tempus eſt; quando utique tale Tempus, quod reſpectu alicujus Temporis Præſentis aut Futuri etiamnum ut poſterius, ſeu relative Futurum venit, etiam abſolute ſpectatum Futurum eſſe, neceſſe erit. Hoc ipſum vero certo indicio nobis eſſe poterit, hoc Vav Futuri proprie non eſſe Converſivum, ſed Emphaticum ſeu Relativum: nam ſi dentur loca; ſunt vero plurima, uti mox manifeſtum fiet, ubi Futurum cum Vav Emphatico Futuro Tempo-

Futurum cum ו Emphatico interdum uſurpatur in re abſolute futura, & Futuro Tempore reddendum.

Digitized by Google

re ſit reddendum, vel ex Genio Linguæ Præſenti aut Imperfecto Subjunctivi, quæ etiam Futurum Tempus indicant, quid jam dicendum erit, an interdum hoc Vav erit Converſivum, interdum non? An vero omnia illa Exempla, quotquot ſunt, Anomaliarum aut Exceptionum loco habenda erunt? Ego vero neutrum facile dixerim. Si vero dicamus, hoc Vav Futuri eſſe Emphaticum ſeu Relativum, atque rem ſiſtere reſpectu præcedentis ut poſteriorem, adeoque ut Futuram; atque hinc maxime etiam inſervire denotando aliquod conſequens ratione ſui antecedentis, tam in re præterita, quam in re futura, omnia, niſi fallar, ſatis erunt liquida. Subjectis Exemplis res amplius illuſtrabitur.

Joſ. IX. 21. Jos IX. 21. *Et dicebant iis Primores* יחיו ויהיו חטבי עצים ושאבי מים לכל העדה *Vivant; & ſint* vel *propterea ut ſint putatores lignorum, & haurientes aquam pro toto cætu.* LXX. hic Futuro reddunt, uti & alii. Hæc verſio mihi etiam ſatis commoda videtur; non tamen ut prorſus neceſſaria urgeri poterit, nam hæc verba apte etiam parentheſeos loco haberi poſſunt, atque ſic verti: *vivant; (erant vero putatores lignorum & haurientes aquam pro toto cætu.)*

1 Sam. II. 6. 1 Sam. II. 6. מוריד שאול ויעל *Demittit in ſepulcrum & dein faciet adſcendere.* Sed quia hic Tempus Indefinitum ſeu Aoriſtum ſignificari videtur Participio מוריד commode etiam ex idiotiſmo Latinæ Linguæ in Præſenti verti poterit: *& dein educit* vel *adſcendere*

dere facit. Idem etiam obſervandum. Gen. XLIX. 16. וִיהִי דָן נָחָשׁ עֲלֵי דֶרֶךְ שְׁפִיפֹן עֲלֵי אֹרַח הַנֹּשֵׁךְ עִקְּבֵי סוּס וַיִּפֹּל רֹכְבוֹ אָחוֹר *mordens calces equi, & inſeſſor ejus decidet retrorſum.* Vel quod idem plane eſt quod ad rem, *ut*, vel *adeo ut decidat.* Gen. XLIX. 16.

Jerm. XXXVIII. 9. Ubi Ebedmelech Zedekiæ Regi hæc dicit: *Domine mi Rex: male fecerunt hi viri in omnibus, quæ fecerunt Jeremiæ Prophetæ, quem conjecerunt in iſtam foveam* וימת תחתיו מפני הרעב כי אין הלחם עוד בעיר Ubi verba ſecundum ordinem atque relationem temporum ac rerum ſic conſtruenda ſunt כי אין הלחם עוד בעיר וימת תחתיו מפני הרעב atque ſic vertenda: *quoniam non amplius eſt panis in urbe, ideo* vel *propterea moriretur loco ſuo præ fame.* Adeoque hic Futuro וימת cum ſuo Vav Emphatico aut Relativo deſignatur poſterius, immo conſequens quoddam ratione rei præcedentis; atque ſimul hic de re abſolute futura dicitur. Similem plane uſum vocis תחתיו pro *loco ſuo*, vel *loco ubi erat*, videre licet 2 Sam. II. 23. Jerm. XXXVIII. 9.

Simili plane modo Futurum cum Vav Emphatico ſeu Relativo de re abſolute futura dici; atque Futuro Tempore reddendum mihi videtur Joël. II. 18, 19. ויקנא יהוה לארצו ויחמל על עמו: ויען יהוה ויאמר לעמו וגו׳ *Tunc* vel *poſt hæc zelabitur Jehovah terram ſuam, & parcet populo ſuo: & reſpondebit & dicet populo ſuo* &c. Ratio, ob quam hæc Futura cum Vav Emphatico Futuro Tempore reddam, ea mihi eſt, quia ea, quæ præcedunt a vs. 15. & deinceps, Futuri ſunt Joël. II. 18, 19.

Temporis: adeo ut vel hinc pateat, ſicuti etiam ex ſequentibus verſibus, quod hæc pericopa Prophetica a vs. 15. usque ad finem Capitis, non tanquam in Scena Prophetica res futuras ut præſentes vel præteritas nobis ſiſtat; ſed quod Stylo ſimplici ſit conſignata, adeo ut futura Futuro Tempore prædicantur. Conferri hic merentur, quæ ad hanc pericopam illuſtrandam obſervavi Diſſ. II. §. 12.

2 Chron. XV. 3–7. Quæri hic poterit, cujusnam Temporis ea ſint, quæ occurrunt 2 Chron. XV. 3—7. num de re præterita, an vero de re futura dicantur. Hæc ſunt verba וימים רבים לישראל ללא אלהי אמת וגו׳ Quæ verba reddi poſſunt vel Præterito Tempore, *Et dies multi fuerunt Iſraëli*: vel Futuro Tempore, *& dies multi erunt Iſraëli.* Si de Futuro Tempore hæc verba explicantur, Futura cum Vav Relativo, quæ occurrunt vs. 4. Futuro Tempore vertenda erunt, hoc modo, וישב בצר לו *quando in anguſtia erit, tunc revertetur.* ויבקשהו וימצא להם *Et quærent eum, & invenietur ab illis.* Atque hoc modo Præteritum vs. 6. כי אלהים הממם Futuro Subjunctivi vertendum erit, uti alibi ſæpius: *quia*, vel *quando Deus vexaverit eos.* Interpretes hic in diverſa abeunt, quidam de Futuro, alii vero de Præterito Tempore rem explicantes. Conferri eum in finem meretur Beckius in Notis ad Paraphr. Chald. ad h. l. Res hic eſt ſatis dubia; eo quod in tota hac pericopa nil niſi Tempora relative ſumta occurrant, Tempora Abſoluta vero reticeantur, uti vs. 3. ubi ſuppleri poteſt vel היו vel יהיו ſic eodem

Digitized by Google

eodem modo vs. 5. De ſolo Præterito Tempore hanc pericopam non explicem, tam ob ſcopum, quam ob ipſum argumentum hujus Prophetiæ aut Oraculi: maxime mihi hæc verba Futurum Tempus reſpicere videntur; ita tamen ut nec Præteritum Tempus a ſciſſione Tribuum ad hoc usque Tempus excluſum velim: quod etiam ex cohærentia cum præcedenti vs. 2. ſatis mihi liquet. Ea vero quæ occurrunt vs. 4. unice fere Futurum Tempus reſpicere judico. Adeoque hoc modo hanc pericopam redderem: *Sed dies multi Israëli* (ſcilicet *ſunt atque erunt*; *in quibus ſit*) *ſine vero Deo, & ſine ſacerdote docente, ac ſine lege. Quando vero ipſi* (*erit*) *anguſtia, tunc revertetur ad Jehovam Deum Israëlis, & quærent eum; atque invenietur ab iis. Atque in iſtis diebus non* (*erit*) *pax exeunti aut introeunti: nam magnæ turbationes* (*erunt*) *ſuper omnes incolas harum regionum; atque contundentur populus in populum, & civitas in civitatem: quia Deus vexaverit eos omni anguſtia.*

Plura alia hujusmodi loca, ubi Futurum cum Vav Emphatico aut Relativo Futuro Tempore ſit reddendum, Vide Deut. XVII. 3. XXXII. 22. Amos. IX. 5. Pſalm LXXXI. 17. XCII. 11, 12. Prov. XXV. 4. Job. XIV. 10.

Ex dictis ſatis ſuperque elici poterit, quam vario modo Futurum cum Vav Emphatico aut Relativo, pro varietate rei vel temporis præcedentis in Vernaculis Linguis verti queat ac debeat; quum tamen, re bene penſitata, una eademque ejus maneat poteſtas: quodque nullibi hoc Vav Futuri vere Con-

verſivum ſit, ſed potius relativam quandam vim, atque ſingularem emphaſin prodat.

§. XII.

Inquiritur an Vav per (:) Futuro præfixum etiam eandem vim habeat cum Vav Emphatico.

Hac occaſione inquiri poterit, num Futurum Hebræum, quando ipſi præfigitur Vav cum Schevate ſimplici, quod Grammatici וו חבור ſeu Vav ſimpliciter copulativum dicunt, interdum etiam eandem vim habeat, quam Futurum cum Vav Emphatico aut Relativo; ſeu an tale Futurum etiam adhibeatur ad deſignandum Futurum Relativum, ſeu Futurum in re præterita. Ita ſentire videntur nonnulli Grammatici & Interpretes. Noldius in Notis ad Lex. Partic. Nota 1221. eum in finem citat Jeſ. X. 13. Pſalm CVII. 20, 22, 27. & Cl. Vitringa in Comment. ad Jeſ. VIII. 2. hoc loco idem obſervat, notatque hic ex ſua hypotheſi Maſoretharum vitium, ſcribentium וְאָעִירָה pro וָאָעִירָה vel quod Futurum hic ſit pro Præterito ex ſolita Hebræis Enallage. Ego vero neutrum horum facile crediderim. Ut dicam, quid mihi hac in parte videatur: deprehendi conſtantem admodum eſſe Hebrææ Linguæ idiotiſmum, ut quando ſignificare volunt Futurum aliquod Relativum, tunc Vav Futuri ſignent per (-) ſequente Dages forti, ſeu ad formam Vavvi Emphatici, non vero Schevate ſimplici. Quod vero ad loca producta attinet; hæc noto.

I. Quod Hebræi, quando Sermo continuatur variis Futuris Relativis, quæ per ſimplicem

cem appoſitionem ſibi junguntur, ſecundum aut tertium horum Futurorum quidem ſignent Schevate ſimplici, non vero primum, quod proprie a præcedenti Tempore dependet ut poſterius ſeu Futurum Relativum. Hoc obſervandum venit Pſalm CVII. 20, 27. Quum vs. 22, ut mihi videtur, huc plane non pertineat. Simile quid obſervari poterit Zach. VII. 14. ubi ואסערם eſt Futurum Relativum in Sermone continuato, atque per ſimplicem adpoſitionem jungitur præcedentibus Futuris Relativis יקראו & אשמע quæ occurrunt præcedenti vs.

II. At majorem ſpeciem præferunt Loca Jeſ. VIII. 2. & X. 13. Quod ad priorem locum attinet Jes. VIII. 2. ואעידה לי עדים נאמנים Putem etiamnum hic continuari mandatum Dei Jeſaïæ datum vs. 1. licet modo indirecto; atque hoc modo hæc verba reddenda eſſe: *& conteſtarer mihi fidos teſtes.* Hujusmodi uſum Futuri cum Vav ſimpliciter Copulativo, ut inſerviat mandato vel juſſui indirecto videre licet Joſ. IV. 16. 2 Reg. XXII. 4, 5. & alibi. Jes. X. 13. ואסיר גבולת עמים וגו״. Hæc verba mihi non ſunt ſimplex narratio hiſtorica eorum, quæ tantum Præterito Tempore geſſerit Rex Aſſyriæ; neque putem huic loco ſatisfieri, ſi hæc verba Præterito Tempore vertantur. Sunt verba jactantia ſeu gloriabunda, quibus magnanimus ille Rex ſignificare vult non tantum quid aliquando fecerit, verum etiam quid continuo faciat, vel porro facturus ſit: adeo ut hic ſit

Jeſ. VIII. 2.

Jeſ. X. 13.

ſpecies Temporis Aoriſti, quod Hebræi ſæpe eleganter atque analogice ſuo Futuro ſignificant, uti infra ſuo loco videndum erit. Ex genio Latinæ Linguæ hæc verba commodiſſime vel Præſenti Tempore reddere licebit: *atque amoveo terminos populorum.* Vel exigua hac periphraſi: *atque is ſum, ut amoveam terminos populorum.*

§. XIII.

Futurum Hebræum etiam omnibus aliis dicendi modis, qui Futurum Tempus involvunt, inſervit.

Præter hæc, quæ jam de poteſtate Futuri Hebræi obſervata dedi, porro inquirendum, atque ulterius illuſtrandum erit, quomodo Futurum Hebræis inſerviat ad omnem modum Futuri Temporis ſignificandum. Liceat mihi ſic loqui, quod in Futuro Tempore, ſaltem ex indole Hebrææ Linguæ, diverſi quaſi Modi ſint obſervandi: nam omne id, quod Latini ſignificant ſuo Imperativo, Præſenti ac Imperfecto Subjunctivi, Græci ſuo Optativo; itemque Modus Grammaticis Potentialis dictus, aliique ſimiles, ſi indolem Hebrææ Linguæ obſerves, nihil aliud ſunt quam ſpeciales quidam Modi Temporis Futuri: quia vero Hebræi proprie loquendo, omnibus iſtis Modis carent, excepto tamen Imperativo, hinc vel a priori liquet, quod neceſſe habeant, uti etiam ſolent, omnes iſtos Modos, qui vere Futuri ſunt Temporis, ſuo Futuro exprimere. Quod vero omnes hi Modi vere Futuri ſint Temporis, vidimus ſupra, ubi de Temporibus ac Modis in genere egimus, Diſſ. I. §. 9, 10.

Licet

Licet vero Hebræi Modum Imperativum agnoſcant, negari tamen non poterit, Hebræos ſæpius ſolitos eſſe ſuo Futuro Imperativi loco uti: quod tamen plane immerito in Enallagarum catalogum referretur; nam quivis rem bene penſitans facile mihi concedet, Imperativum Modum ſua natura ſemper notionem Futuri Temporis involvere. Hinc Grammatici Hebræi Imperativum Modum vocant *Futurum primum*, & ſuum proprium Futurum, *Futurum Secundum*; obſervante Cl. Buxtorfio Lib. I. Theſ. Gramm. Cap. 12. pag. 92. Hoc quodammodo tolerari poſſet, modo iſta licentia non abutamur, ut ex omnibus Futuris Imperativos Modos, aut contra ex Imperativis pro mero lubitu Futura faciamus: nam certe פְּקוֹד proprie & vere Imperativi Modi eſt; nec facile dederim, niſi ſpecialem quandam ob rationem, Imperativum proprii & ſimplicis Futuri locum occupare: de quo infra ſuo loco dicendum erit. Omnis Imperativus Modus vere Futuri eſt Temporis; at non contra omne Futurum Imperando inſervit.

Futurum Hebræum uſurpatur Imperativi loco.

Prorſus ſupervacaneum duco, hic Lectorem morari citandis aut illuſtrandis Exemplis, ubi Futurum Hebræum Imperando inſerviat; * quum ubivis Exempla hujus rei proſtent, maxime vero in Lege Moſaïca, quin & in

 ipſo

* Quod Futurum Imperandi loco uſurpetur, etiam in omnibus fere aliis Linguis obtinet: ſic Latinis uſu receptum eſt, ut Futurum Indicativi ſecundæ perſonæ uſum & vim Imperativi vel Optativi interdum habeat; notante Cl. Perizonio ad Sanctii Min. Lib. I. Cap. 13. §. 2.

Digitized by Google

ipſo Decalogo. Hoc vero heic loci obſervatu dignum videtur, non ſolere Hebræos in Imperando ſuo Imperativo uti poſt particulas negandi vel vetandi, לא/ אל/ פן aut ſimiles: hoc in caſu utuntur ſuo Futuro vetandi loco; non dicunt Hebræi לֹא עֲשֵׂה ſed לֹא תַעֲשֶׂה Quod jam ex R. Elia Levita obſervavit Glaſſius Lib. III. Gramm. Sacr. Tract. III. Can. 49. §. 3. & Lœſcherus de Cauſis Ling. Hebr Lib. II. Cap. 7. §. 17.

Uti vero Hebræi ſuum Futurum Imperandi loco ſiſtunt; ſic & eo eodem plane jure utuntur in *adhortando*, vel *excitando*: qui quaſi ſpeciales Modi ſunt ſub Imperativo comprehenſi. Conferri hic merentur loca, Gen. I. 26. XI. 3, 4, 7. XIX. 32. Deut. XIII. 3, 7. Pſalm CXVIII. 2, 3, 4. Niſi dicendum, adhortativam vim maxime hic latere in Verbis לְכָה & הָבָה quæ plerisque locis adduntur.

§. XIV.

Futurum Hebræum ſæpe vertendum Præſenti vel Imperfecto Subjunctivi.

Uſitatiſſimum etiam eſt Hebræis, immo vero quaſi coguntur omne id, quod aliæ Linguæ vel in genere ſuo Modo Subjunctivo, vel ſpeciatim Modo Optativo ſignificant, ſuo Futuro Tempore indicare; non enim hoſce Modos ſpeciali quadam terminatione Grammatica agnoſcunt. Horum loco vero ſuo Futuro eatenus utuntur, quatenus hi Modi, vel horum Modorum Tempora, vere Futuri ſunt Temporis, vel abſolute, vel etiam relative ſpectata: quum loco Futuri Subjunctivi, ſeu Futuri

Digitized by Google

Futuri exacti, quatenus eſt Præteritum in re futura, ſuum Præteritum ponant, uti ſupra ſuo loco vidimus. Adeoque hac etiam in parte omnino ἀναλόγως loquuntur Hebræi, nec ulla veri nominis Anomalia hic deprehendi poterit.

I. Sæpe Hebræi ſuum Futurum cum Vav ſimpliciter copulativo ita uſurpant, ut commode Latine vertas *Præſenti Subjunctivo* cum *ut* cauſali.

Exod. IX. 1. שלח את עמי ויעבדני *Dimitte Populum meum, ut ſerviant mihi.* Sic eodem modo vs. 13. Ubi tamen accurate loquendo verba Hebræa pro Linguæ ſimplicitate nihil aliud ſignificant quam, *& ſervient mihi.* Quod vero hæc verba Latine aut alia quadam Lingua ut cauſa finalis aut ſcopus præcedentium reddenda ſint per *ut* cauſale, id maxime ex natura & nexu rerum profluit. Conferri hic præterea merentur Gen. XLIV. 21. Joſ. IV. 16. XVIII. 4. 2 Reg. XXII. 4, 5. 2 Chron. I. 10. Exod. IX. 1.

II. Interdum hoc modo ſuum Futurum uſurpant Hebræi, ut in aliis Linguis apte *Imperfecto Subjunctivo* reddi poſſit; quod Imperfectum Subjunctivum vere Futuri eſt Temporis, & maxime quidem tale Tempus, quod ratione alicujus Temporis præcedentis ut Futurum ſiſtitur, ac præſertim quidem reſpectu alicujus præcedentis Temporis Præteriti: adeo ut hoc Tempus ex frequentiſſimo ſuo uſu *Futurum Relativum* vel *Subjunctivum* commode dixeris. Conferri hic merentur quæ jam de hoc Tempore notavimus Diſſ. I. §. 9. Adeoque ſi rem ipſam attendas, hic Futuri

uſus

uſus non alius eſt, quam Futuri-Relativi, ſeu Futuri in re præterita; de quo jam ſupra egimus hujus Diſſ. §. 2, 3. Ex. gr. quando 1 Reg. VII. 7. dicitur אשר ישפט שם hic Futurum ישפט ſalva tamen propria vi Futuri Temporis, plus quam uno modo reddi poterit, vel *ubi dein judicabat*, vel *ubi judicaret*, vel *ubi judicaturus erat.* Idem dici poterit de Futuro ישב vs. ſeq. uti & 2 Reg. XIII. 14.

Alia loca, ubi Futurum apte Imperfecto Subjunctivo verti queat, vide Jud. XIV. 16. 2 Reg. III. 14. Prov. XXX. 3.

§. XV.

Futurum ſæpe conſtruitur cum variis Particulis, quæ Modum Subjunctivum, vel Optativum ſignificant.

Maxime vero Futurum Hebræum Subjunctive aut Optative venit, mediantibus variis Particulis, quæ Subjunctivum aut Optativum Modum aperte indigitant; quales præſertim ſunt /בעבור /למען /אל /פן /נא /לו /לבלתי ſimilesque. Verum huncce Subjunctivum & Optativum uſum Futuri Hebræi jam obſervavit, atque ab Enallages labe purgavit Pl. Ven. de Bruin Diſſ. Laud. pag. 6. & ſeqq. Ne tamen hic prorſus nihil dicam, quædam ulterioris illuſtrationis cauſa addam.

למען

Quod ad uſum atque conſtructionem Particulæ למען attinet, maxime ea jungitur vel Futuris, vel Infinitivo Modo. Quando hæc Particula Verbo Infinitivo præfigitur, ſæpiſſime iſto Infinitivo ad Tempus Futurum reſpicitur, atque in id commode reſolvitur: ex. gr. quando dicitur Deut. II. 30. למען תתו בידך idem eſt, acſi diceretur למען יתן אתו

אתו בידך *ut daret eum in manum tuam.* Fateor, ſæpiſſime למען cauſam finalem, vel ſcopum indigitat, atque adeo Futurum Tempus reſpicit: at nihilominus mihi hæc Particula latioris videtur eſſe poteſtatis, adeo ut quamcunque fere cauſam aut rationem ſignificet, atque proin etiam inſerviat cauſæ impulſivæ denotandæ; quando maxime, præſertim in re præterita poſt ſe requirit Tempus aliquod Præteritum, & per *quia*, vel *propterea quod* reddenda erit. Hoc modo למען cum Præterito conſtruitur Joſ. IV. 24. Cujus loci Analogiam ſupra jam vindicavimus Diſſ. II. §. 1. Forte dantur loca, ubi למען ante Infinitivum etiam cauſam impulſivam denotat; quando iſte Infinitivus in Tempus Præteritum reſolvi poterit, quod inquirendum. Noldius huc refert Jerm. VII. 10. נצלנו למען עשות את כל התועבות האלה Quod ex ejus ſententia vertendum foret, ac ſi diceretur למען עשינו *liberati ſumus, quia fecimus omnes has abominationes.* Verum hic locus ſatis eſt dubius: æque commode verti poſſet: *ut faciamus.* Forte hic utrumque ſignificatur; adeo ut hic quædam Syllepſis obſervanda ſit: nam verba Hebræa tantum in genere ſignificant: *propter facere.*

Particula פן a Grammaticis dicitur ſemper cum Futuro conſtrui. Unicum locum excipit Buxtorfius Lib. II. Theſ. Gramm. Cap. 19. pag. m. 547. ubi ait: פן *Semel abuſive cum Præterito loco Futuri poſito reperitur, ut* 2 Sam. XX. 6. notatque Chaldæum Interpretem hoc loco פן

loco Præteritum מצא exprimere per Futurum ישכח Sic & Glaſſius Lib. III. Gramm. Sacr. Tract. V. Can. 18. Cui alter locus addi poteſt ex Notis ad Noldii Conc. Partic. Nota 1836. nimirum 2 Reg. II. 16. Verum neutiquam ego putem, in hiſce locis Præteritum abuſive, ſeu per quandam Enallagen pro Futuro poni, uti Buxtorfius & Glaſſius ſaltem de priori loco adfirmant: at vero potiori jure ita judico, quia in hiſce locis occurrit Præteritum; in aliis forte omnibus Futurum, etiam revera hiſce in locis Præteriti ſignificationem latere.

In illuſtrandis atque vindicandis hiſce locis
2Reg.II.16. a poſteriori exordiamur, 2 Reg. II. 16. Sic ſe habent verba: *Filii Prophetarum dicebant Elizæ: ecce quæſo, ſunt ſervis tuis quinquaginta viri fortes; abeant quæſo, & quærant Dominum tuum* פן נשאו רוח יהוה וישלכהו באחד ההרים או באחת הגיאות: Certe rem præteritam hic Verbo נשאו ſignificari nemo inficiabitur, quum omnes hujus hiſtoriæ circumſtantiæ id ſatis evincant: quid novi aut inſoliti erit, ſi in re præterita Præteritum adhibeatur. Si ſatis demonſtrari poſſet, פן non tantum de dubitatione ſubjunctiva dici pro *ne forte*; ſed interdum etiam de dubitatione ſimplici pro *forte*; quod tamen mihi ſatis videtur veroſimile, * hoc modo hunc locum verterem: *forte ſuſtulit eum Spiritus Jehovæ*,

* Quod פן interdum ſimpliciter notet, *forte*, *forſan* variis locis probatur a Noldio in Conc. Partic. ad h. V. Verum hæc loca ſatis mihi videntur dubia; quæ propius examinari merentur.

Digitized by Google

bovæ, ac dein dejecit eum in quendam horum montium, aut in quandam harum vallium. Si vero ea ſignificatio Particulæ פן hic forte non admittatur, commode ſatis Præteritum נשאו Præterito Subjunctivo reddi poterit, hoc modo: *ne forte, ubi* vel *poſtquam ſuſtulerit eum Spiritus Jebovæ, dein dejecerit in quendam montium aut vallium.* Quocunque autem modo vertas, Præteriti ſignificatio hic ſarta tectaque manebit.

Alter locus eſt 2 Sam. XX. 6. David hic, poſtquam Amaſa ſupra ſibi conſtitutum tempus morabatur; hæc Abiſæ dicit: *nunc Seba filius Bichri plus nobis mali faciet quam Abſalom: tu accipe ſervos Domini tui, & perſequere poſt eum* פן מצא לו ערים בצרות והציל עיננו. 2 Sam. XX. 6.
Vulgo hæc verba hoc fere modo reddi ſolent: *ne inveniat ſibi urbes munitas, & ſe eripiat ex oculis noſtris.* Verum ſi hæc mens fuerit verborum Davidis, omnino putem, ipſum dicturum fuiſſe פן ימצא. Longe probabilius mihi videtur, hoc modo, ſalva Præteriti Temporis natura, hæc verba reddenda eſſe: *forte invenit ſibi urbes munitas.* Verebatur Rex admodum, ne ex longiore mora Amaſæ ſuum lucrum captaret Seba, atque urbes munitas jam interim occupaſſet: atque hoc modo verba hæc non adeo habenda erunt ut ratio, quare Abiſa eum cum ſervis Davidis perſequeretur; verum hæc verba maxime mihi rationem explanare videntur, quare David Sebam tantopere timeret, quum Amaſa tam diu moraretur: nam temporis mora rem eo periculoſiorem reddebat. Si vero

פן

פן hic ſumatur pro *ne*, *ne forte*, hoc modo hæc verba reddi poterunt, ſupplendo verbo *vereor*, aut ſimili quodam: *vereor*, *ne ſibi invenerit urbes munitas*, *atque ſe eripuerit ex oculis noſtris*. Quale ſupplementum tunc res ipſa hic & alibi ſatis flagitabit.

§. XVI.

Sæpe Futurum Hebræum inſervit Optando, Supplicando &c.

Solent etiam ſæpius Hebræi in *Votis*, ſive in *Optando*, aut *Supplicando*, ſive etiam in *Deprecando* atque *Deteſtando* ſuum Futurum adhibere; idque modo plane analogo: quum vota maxime & proprie res ut futuras ſpectent. Quam ſpecialem Futuri vim ſæpe Hebræi ſignificant Particulis נא / לו / אל. Inſpici hic merentur loca Gen. XVIII. 3, 4. XIX. 7, 8. XLIV. 18, 33. Deut. XXXII. 2. 1 Reg. I. 36, 37, 47. VIII. 26, 57. Ruth. I. 8, 9. Noldius in ſuis Notis ad Lex. Partic. §. 266. egregiam ſibi offendiſſe videtur hac in parte Enallagen Futuri pro Præterito in dicto Patriarchæ Jacobi de filiis ſuis Simeone & Levi, Gen. XLIX. 6. בסודם אל תבוא נפשי *in arcanum eorum conſilium ne veniat anima mea*. Quod Noldius in Præterito vertere mavult, *non venit anima mea in conſilium eorum*. Idque hanc, uti præfert, ob rationem: quia Jacobus mox moriturus illo voto opus non habuiſſet: in eo ſequutus R. Ben Melech. Verum hic conatus mihi nimis audax videtur, atque ejus ratio prorſus frigida. Quidni Jacobus jamjam moriturus hocce filiorum ſuorum facinus quodammodo excuſare, aut

Gen. XLIX. 6.

appro-

approbare, atque in eo conſentire potuiſſet? atque hoc modo etiam in ipſo mortis articulo ingreſſa fuiſſet ipſius anima in conſilium eorum. Contrarium vero hic optat, vovetque pius Patriarcha. Præterea hæc verba paullo generaliori ſenſu ut deteſtandi aut execrandi formula habenda ſunt, qua atrocitatem hujus delicti, ſuamque ab eo averſionem teſtetur: atque in ſimilibus execrandi aut devovendi formulis circa res præteritas, uſitatiſſimum eſt, res præteritas quaſi ut adhuc præſentes aut futuras nobis ſiſtere. Alioquin quomodo Jobus aut Jeremias dies ſuos natalitios jam dudum præterlapſos execrari potuiſſent. Vid. Job. III. 3. & ſeqq. & Jerm. XX. 14.

Circa *Optandi* Modum & hoc tandem hic obſervandum duco, interdum vota fieri circa res jam præteritas, quod quaſi indirecte fit: quum alias proprie loquendo vota verſentur circa res futuras, uti mox jam obſervavimus. Si prius locum habeat, utuntur Hebræi modo prorſus analogo, ſuo Præterito, quod ex noſtro idiotismo Plusquamperfecto Subjunctivi vel Optativi vertendum erit, uti Num. XX. 3. לו גוענו *utinam fuiſſemus mortui*, & alibi ſæpius. Conferri in hanc rem merentur quæ ſupra jam obſervavimus Diſſ. II. §. 8. Poſteriori vero loco, ſi vota ſimpliciter fiant circa res adhucdum futuras, adhibere ſolent Hebræi ſuum Futurum, quod commode Præſenti vel Imperfecto Subjunctivi aut Optativi vertitur. Hujusmodi loca jam in initio hujus Tmematis citavimus.

N Idem

Pſalm. LXXXI. 14. Idem illud obſervandum patem Psalm. LXXXI. 14. לו עמי שמע לי ישראל בדרכי יהלכו *Utinam Populus meus auſcultans mihi; Iſraël in viis meis ambularet!* Ubi in poſteriori hemiſtichio Particulam לו *Utinam*, repetendam eſſe cenſeo. Sunt Interpretes & Commentatores, qui hic Futurum יהלכו Plusquamperfecto Subjunctivi vertunt; eam maxime ob rationem, quia vs. præcedenti Populus Iſraëliticus jam a Deo traditus dicitur in duritiem cordis ſui; quodque adeo hæc Dei obteſtatio & adhortatio cum adjuncta promiſſione, quæ occurrit Verſibus 15, 16, 17. non amplius reſpectu Futuri Temporis locum habere poſſet: adeoque etiam Futura in tribus hiſce Commatibus itidem Plusquamperfecto Subjunctivi reddunt. Verum ſit ita, quod Iſraël jam tunc a Deo fuerit dimiſſus & ſibi traditus, hoc non uno quaſi momento, ſed gradatim & pedetentim a Deo factum fuiſſe cenſendum eſt: non enim omnia gratiæ media Deus huic Populo ſtatim ſubtraxit; ſed continuo eos, etiam ipſo illo tempore ad reſipiſcentiam exhortatus eſt, ut hoc modo pauci electi in Iſraële colligerentur, utque ſimul ſeveriſſimum Dei judicium in impiam atque duram hanc gentem tandem eo juſtius foret. Nonne in diebus Jeſu Chriſti Populus Iſraëliticus jam magna ex parte cæcitati atque duritiei cordis ſui erat traditus? & tamen quoties non eos ad reſipiſcentiam exhortatus fuit? præſertim id obſerves Luc. XIX. 42. *Utinam & tu*, O Jeruſalem, *etiam hoc tuo die agnoſceres, quæ ad pacem tuam pertinent.*

Digitized by Google

linunt. Hoc modo & hic Dei verba ut ultima quædam obteſtatio & adhortatio haberi poterunt. Præterea ſi hic verba Plusquamperfecto Subjunctivi vertenda forent, potius hic ex uſu Linguæ, atque vi Temporum Præteritum adhiberetur, uti Jeſ. XLVIII. 18. לוא הקשבת למצותי ויהי כנהר שלומך *Utinam attendiſſes ad præcepta mea; tunc foret*, vel *fuiſſet pax tua ut fluvius.* Nec Futura vs. 15, 16. ſi quid video, aliter quam Imperfecto Subjunctivi ſignificare licet.

§. XVII.

Maxime etiam Hebræis ſolitum eſt, ſuum Futurum adhibere loco *Modi Potentialis* dicti: *adeo ut non ſimpliciter tantum ſignificetur, quid futurum, aut non futurum ſit; ſed ſpeciatim quid fieri aut non fieri poſſit.* Maxime vero talis dicendi modus Futurum Tempus reſpicit, atque in id facile reſolvi poteſt. Exemplo ſit 1 Reg. III. 8. עם רב אשר לא ימנה ולא יספר מרב Proprie ſic vertendum: *Populus magnus, qui non numerabitur, neque ſupputabitur præ multitudine.* Quo tamen non tantum ſimpliciter ſignificatur, id non factum iri; verum ſimul etiam, neminem hoc facere poſſe, nimirum præ ejus innumerabili multitudine. Sic & 1 Reg. VIII. 27. הנה השמים ושמי השמים לא יכלכלוך *Ecce Cœli, neque Cœli Cælorum te comprehendent*, h. e. *tales non ſunt, aut tantæ capacitatis, ut hoc faciant, vel facere poſſint.*

Futurum Hebræum ſæpe ſpeciatim dicitur de eo, quod fieri poſſit aut debeat.

1 Reg. III. 8.

1 Reg. VIII. 27.

 2 Chron.

2 Chron. I. 10. 2 Chron. I. 10. כי מי ישפט את עמך הזה הגדול *Nam quis judicabit Populum tuum hunc magnum?* Hoc eſt, ſi rem ſpectes, *quis talis eſt, ſeu tantæ capacitatis, ut hoc facere poſſit?* Quod 1 Reg. III. 9. dicitur מי יוכל לשפט *Quis poterit judicare?* Videtur hujusmodi *Modus Potentialis* fere ſpecies eſſe Temporis Indefiniti; adeo ut non tam præciſe ad id attendatur, quid factum ſit aut futurum ſit; verum maxime ſine ſpeciali Temporis determinatione obſervandus ſit ſingularis nexus inter ſubjectum & ſuum prædicatum: commodiſſime tamen, atque prorſus analogice hunc Modum Futuro Tempore ſignificari, ex citatis locis ſatis liquet. Quibus addi posſunt Gen. XIII. 16. XVI. 10. Deut. IV. 28. Jud. XVI. 10. 1 Reg. VIII. 5. Ezech. XLVII. 5. Hoſ II. 1. Pſalm CXV. 5, 6, 7. CXXXV. 16, 17. Job XL. 23. & ſeqq. 2 Chron. II. 5. V. 6. * Interdum tamen, uti id ex jam dictis ſatis elici poterit, hic Potentialis dicendi Modus, quum fere ſit indeterminati Temporis, analogice atque apte Præterito Tempore exprimitur: quod etiam Tempus in hunc Modum Potentialem facile reſolvitur. Conferri eum in finem meretur Num XXIII. 10.

Singularis etiam eſt Futuri Hebræi uſus, isque omnino Analogus, quando uſurpatur pro *Modo Debitorio*; (liceat mihi ſic dicere) ſeu de eo, *quod fieri debeat.* Quivis facile animadvertit, hoc nihil aliud eſſe, quam ſpecialem quendam modum Futuri Temporis:

* Plura hujus dicendi modi Exempla dabit Arn. Bootius Lib. II. Animadv. Sacr. Cap. 3. §. 7, 8.

ris: nam ſignificat aliquid futurum, ſi quis rite aut debite agat. Proprie vis Futuri Temporis hic immutata manet: res ipſa vero maxime docet, hic non agi de re ſimpliciter futura; ſed futura, ſi debite agatur: atque adeo commode per periphraſin Verbi *debco* tale Futurum reddi poterit. Exemplo ſit Exod. XVIII. 20. את הדרך ילכו בה ואת Exod.
המעשה אשר יעשון *Notificabis iis viam, qua* XVIII. 20.
ibunt, & opus, quod facient. h. e. *ſi recte incedere atque operari velint.* Sic Ps. XXXII. 8. Pſ. XXXII.
אורך בדרך זו תלך *Monſtrabo tibi viam, qua* 8.
ibis, vel *ire debeas.*

Idem hoc & multis aliis locis obſervatur Lev. IV. 2, 13, 22, 27. 1 Reg. VIII. 36. Jeſ. XLVIII. 17. Jerm. XLII. 3. Pſalm CXLIII. 8. 2 Chron. VI. 27.

Hæc ſunt, quæ ad vindicandum Analogum Futuri Hebræi uſum dicenda mihi erant. Forte in hiſce paullo uberior viſus ſum; at ſciat Benevolus Lector, maxime circa Futurum verſari quaſi totius hujus diſquiſitionis cardinem, cujus uſus omnino varius eſt; attamen, uti demonſtraſſe mihi videor, plane analogus. In reliquis, quæ de Imperativo Modo, Infinitivo, & Participio Sequenti Diſſertatione dicenda reſtant, brevior eſſe potero.

Digitized by Google

ANALOGIÆ
TEMPORUM ET MODORUM
HEBRÆAE LINGUÆ
DISSERTATIO QUARTA.

Qua inquiritur in Genuinum atque Analogum Uſum Modi Imperativi, Infinitivi, *atque* Participii: *atque inſuper Idiotismus Hebrææ Linguæ inveſtigatur in dicendi* Modo Indefinito, *ſeu* Aoristo.

CAP. I.

DE MODO IMPERATIVO.

§. I.

Imperativus etiam alios ſpecialiores Modos ſub ſe continet.

Imperativus Modus ita dictus eſt, quod maxime atque primario loco imperando inſerviat; uti jam ſupra, ubi de Temporibus ac Modis in genere aliquid præmonuimus, obſervatum dedi, nimirum Diſſ. I. §. 10. Quemadmodum in aliis fere omnibus Linguis id obtinet, ut Imperativus etiam varios alios dicendi modos ſub ſe comprehendat, ita & idem illud non minus in Hebræa Lingua obſervatur: utuntur enim eo Hebræi in *rogando*, *precando*, *adhortando*, aliisque ſimilibus Modis, qui omnes ut quædam ſpecies ſub generali Imperativo Modo continentur. Exemplis hujus rei producendis Lectorem

Digitized by Google

rem non morabor: quoties non in Sacro Codice precibus aut ſupplicationibus inſervit Modus Imperativus? ſæpiſſime etiam, præſertim mediante Particula נא adhortandi loco venit.

§. II.

Notari tamen hic meretur, ut eo magis generalior poteſtas atque uſus *Modi Imperativi* innoteſcat, quod interdum hicce Modus imbecilliori quaſi ſignificatione veniat, atque tantummodo de quadam *conceſſione* aut *permiſſione* uſurpetur: quod neque anomalum quid, aut ab aliis Linguis alienum eſſe, quivis facile fatebitur: atque hoc paſſim ex ipſo ſermonis argumento aut ſcopo facile elicitur. Hoc modo Imperativus uſurpatur Joſ. IX. 25.

Imperativus interdum tantum de permiſſione aut conceſſione adhibetur.

Joſ. IX. 25.

ועתה הננו בידך כטוב וכישר בעיניך לעשות לנו עשה *Nunc vero, ecce nos ſumus in manu tua: ſicuti bonum & rectum eſt in oculis tuis ad faciendum, fac nobis.* Ubi certe accurate loquendo, non occurrit proprie dictum imperium aut mandatum quoddam; verum nihil aliud niſi quædam quaſi permiſſio, aut ſubmiſſio ſub voluntatem alterius. Eodem fere modo Jud. XI. 36. Ubi Filia Jephthæ ſe plane ſubjicit voluntati Patris ſui his verbis עשה לי כאשר יצא כפיך *fac mihi, ſicuti exiit ex ore tuo.*

Jud. XI. 36.

Eundem hunc Imperativi uſum obſervare licet 2 Reg. X. 5. Jerm. XXVI. 14. & alibi.

§. III.

Imperativi Analogus uſus vindicatur.

At frequentem admodum Imperativi loco Futuri Enallagen hic ſtatuunt Pagninus, Glasſius, aliique. Si vero hic omnino quædam Enallage in uſu Imperativi admittenda foret, ea haudquaquam talis erit, qua Tempora veluti Futurum & Præteritum confunduntur, quum Imperativus quaſi Futuri Temporis ſit, ſeu Futurum Tempus reſpiciat: atque adeo, etiam ſi rem ſtrictiſſime putemus, hic nihil aliud niſi quædam Modorum Enallage obſervanda foret. Verum neque hoc ſine ulla quadam reſtrictione, aut ſpeciali quadam cauſa admittendum cenſeo. Ad loca vero, quæ ad talem qualemcunque Enallagen probandam vel a Glaſſio, vel a Pagnino proferuntur hæc in genere noto:

I. Maximam partem horum exemplorum commodiſſime ut formæ Imperativæ haberi poſſe; atque ita etiam ſæpe ab Interpretibus reddi; uti oſtendit Ven. de Bruin Diſſ. Laud. pag. 141—144.

II. Sæpiſſime, immo fere ſemper obſervari, hoſce Imperativos, qui Futuri Temporis proprie eſſe dicuntur, non venire niſi poſt alium præcedentem Imperativum: adeo ut hic ſit elegans figura Grammatica, ut quum præſertim tale Futurum quodammodo Imperative exprimi poſſit, oratio modo Imperativo continuetur.

III. Quando poſt aliquod mandatum ſeu præceptum, Imperative propoſitum, ſequitur quædam adjuncta promiſſio itidem Imperative

rative expreſſa, quæ potius ſimpliciter Futuri Temporis eſſe videtur, ſingularem quandam emphaſin hoc modo indicari exiſtimem; nimirum arctiſſimum quendam atque indiſſolubilem nexum inter obſervationem hujus mandati atque adjunctam promiſſionem. Sic quando dicitur PROV. IV. 4 שמר מצותי וחיה *Serva præcepta mea, & vivito.* Quod eo fere modo explicari poterit, acſi diceretur: *atque ſic*, vel *eo ipſo vivito.* Vel etiam ita res explicari poterit, ut qui unum jubet, etiam eo ipſo quaſi alterum jubere cenſendus ſit. Notari hic meretur, in hac dicendi formula ſimilem fere emphaſin jam obſervatam fuiſſe a Flacio apud Glaſſium, quando ad PSALM. XXXVII. 27. סור מרע ועשה טוב ושכן לעולם hæc notat: *per Imperativum ſignificantius loquitur David, quam ſi promitteret juſtos tuto habitaturos in terra: nam perinde eſt, acſi in rem præſentem adducens, eum velut in poſſeſſione collocaret.* Prov. IV. 4. Pſalm. XXXVII. 27.

IV. Porro omnino hic notandum cenſeo: quod non temere in his aliisve Exemplis vis Imperativi Modi infringenda ſit, aut in ſimplex Futurum Tempus reſolvenda: nam ea non tantum ſunt Imperativi Modi, quæ Deus hominibus imperat, ut ipſi præſtent; verum etiam in genere omne quod Deus vult, quaſi jubet; ſeu fit omnipotenti ejus juſſu ac imperio: atque adeo omnes Dei ſive benedictiones ſive maledictiones commode Imperativo Modo proponuntur. Sic ex gr. GEN. IX. 1. hoc modo Deus Noacho ejusque filiis benedicit: פרו ורבו ומלאו את הארץ *Eſtote* Gen. IX. 1.

 fæcundi;

fæcundi, & *multiplicamini*, & *implete Terram.* Hæc Dei benedictio etiam ſatis apte Futuro Tempore proponi poterat, ut quædam Dei promiſſio: nunc vero quum Imperative hæc dicuntur, etiam vis Modi Imperativi obſervanda, ac retinenda. Hinc male mihi obſervare videtur Glaſſius ad DEUT. XXXII.
Deut. XXXII. 49. 49. ubi Deus hæc Moſi dicit ומת והאסף אל עמיך & *morere*, & *aggregare ad populos tuos.* Quod Deus hæc mandare non poterat Moſi, quia mors non erat in poteſtate Moſis. Fateor, Deus hoc non commode videtur Moſi mandare potuiſſe: attamen mandare & jubere poterat Deus mortem Moſis; quatenus utique juſſu ac imperio Dei peracta fuit. Eodem plane modo Deus Imperativo dicendi Modo mortem hominum quaſi jubet Pſalm. XC. 3. dicens שובו בני אדם / *Revertimini filii hominis.* Sic & quando Deus ſuam benedictionem Abrahamo addicit Imperandi Mo-
Gen. XII. 2. do, dicens GEN. XII. 2. והיה ברכה & *eſto benedictio*: quidni & hic Imperativus Modus ſervari poterit? nonne Deus benedictionem & vitam jubet? uti dicitur Pſalm CXXXIII. 3.
כי צוה יהוה את הברכה חיים עד העולם:
Sal. Glaſſius Lib. I. Philol. Sacr. Tract. IV. Sect. 1. Can. 2. ſingularem loquendi formam obſervat in Stylo Prophetico: *quod Futura a Prophetis prænuntiantur forma Optandi, Imperandi atque Imprecandi.* Verum ut Verbo tantum dicam, quid mihi hac in parte videatur: hac Regula Hermeneutica Scena Prophetica magis diſturbatur ac confunditur, quam illuſtratur; nec quicquam bonæ frugis aut utilitatis in ea perſpicio. *CAP.*

Digitized by Google

CAP. II.

DE MODO INFINITIVO.

§. I.

Quod ad Infinitivum Modum in Hebræa Lingua attinet, is unicus tantum eſt, neque Hebræi Temporum differentiam in *Infinitivo Modo* proprie agnoſcunt, uti Græci & Latini, qui in Infinitivo Præſentis, Præteriti & Futuri Temporis differentiam obſervant: adeoque proprie loquendo hic Temporis Enallage, ſeu unius loco alterius poſitio locum habere nequit. Neque etiam, ſi rem rite putemus, Hebræi ſuo Infinitivo proprie & in ſe ſpectato ullum certum aut definitum Tempus ſignificant: ſi vero ita ſit, ut tamen Infinitivo Modo aut Præſens, aut Præteritum, aut Futurum Tempus denotari videatur, id proprie non fit vi Modi Infinitivi in ſe ſpectati; verum id aliunde accidit; ſive enim iſta Temporis notatio dependet a Verbo Finito, quocum conſtruitur; ſive a Particulis Infinitivo Modo præfixis; ſive id ex ipſo ſermonis argumento eliciendum relinquitur. Adeoque Infinitivus proprie non definit Tempora, ſed rem hac in parte quaſi indefinitam relinquit: quod ex iis, quæ de vario Infinitivi Modi apud Hebræos uſu obſervabimus, patebit ultro.

In Infinitivo Modo proprie Temporum differentia non obſervatur.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Genuini Infinitivi Modi Uſus panduntur.

I. Inter Varios Modi Infinitivi Uſus, is mihi merito primarius, atque maxime proprius eſſe videtur, ut alii cuidam Verbo Finito adjungatur fere *Nominis Subſtantivi Verbalis inſtar*; præſertim quando poſterius hoc Verbum ratione Numeri, Perſonæ, atque ſæpe etiam ratione Temporis ut plane idem ſiſtitur cum præcedenti Verbo Finito; vel ſaltem, quando ad ea Verborum Accidentia non adeo attenditur: nam Infinitivus diſtinctionem Numeri, Perſonæ ac Temporis in Hebræa Lingua proprie non definit; atque in hiſce maxime Infinitivus Modus quaſi recedit a proprietatibus Verbi Finiti, atque propius ad naturam Nominis Subſtantivi accedit: hoc tamen ex proprietatibus Verbi Finiti retinet, ut ſæpe Verborum inſtar Nomen ſibi adjungat, & notionem Verbi Finiti indefinite ſignificet; atque hinc jure dici non poterit, quod Verbum Infinitivum ex omni parte Nomen Subſtantivum ſit. Hoc itaque modo ſæpe Hebræi ſuo Infinitivo Modo utuntur poſt quoddam præcedens Verbum Finitum; adeo ut iſto Infinitivo nihil fere, niſi in genere & indefinite notio Verbi ſignificetur, quum deſignatio Perſonæ, Numeri, & Temporis lateat in Verbo Finito; idque faciunt Hebræi vel nude, vel mediante Particula ב aut ל pro indole Verbi Finiti. Ex. gr. 1 Sam. XXVI. 23. Ubi David hæc dicit: ולא אביתי לשלח ידי במשיח יהוה

&

& nolui injicere manum meam in Unctum Jehovæ. Deut. VII. 22. לא תוכל כלתם מהר *Non poteris eos ſubito perdere.* Cap. X. 10. לא אבה יהוה השחיתך *Noluit Jehovah te perdere.* Jeſ. LIII. 10. ויהוה חפץ דכאו *At placuit Jehovæ ipſum conterere.* Quibus Infinitivis, ut liquido conſtat, nihil fere niſi notio Verbi in genere & indefinite ſignificatur: quum omnis deſignatio Perſonæ & Numeri lateat in Verbis Finitis, atque Temporis limitatio vel negligatur, vel Verbo Finito jam ſignificata ſit.

II. Sæpe ſuum Infinitivum Modum adhibent Hebræi eodem loco, quo Latini ſua Gerundia, maxime ope Particularum ב aut ל aut ſimilium. Ex. gr. Deut. VIII. 6. ושמרת את מצות יהוה אלהיך ללכת בדרכיו וליראה אתו *Et ſerva præcepta Jehovæ Dei tui ad ambulandum in viis ejus, & ad timendum eum.* Sic & Cap. XI. 22. & ſæpiſſime alibi. Hinc ſæpe Infinitivus ope Particulæ ל commode Futuro Tempori deſignando inſervit; ſaltem poſterius ſeu futurum quid ratione Temporis præcedentis indigitat, uti & Latinorum Gerundia in *dum* exeuntia, quando cum Propoſitione *ad* conſtruuntur. Exempla hujus rei paſſim obvia ſunt: conferri hic velim Deut. XXVI. 17, 18, 19. Sic & contra Infinitivus cum ב præfixo maxime convenit cum Latinorum Gerundio in *do* exeunte, ſeu quod ad rem idem eſt, Præſens quoddam Tempus denotat; maxime vero tale Præſens, quod Relativum eſt; quodque adeo vel Præſens quoddam eſt in re præterita, vel Præſens in re futura. Sic de Præſenti in re præterita

terita adhibetur Infinitivus cum ב conſtructus Deut. XXIV. 9. בצאתכם ממצרים Proprie *in exeundo vos ex Ægypto.* h. e. *quando egrediebamini ex Ægypto.* Confer Cap. XXV. 17. Eodem fere modo interdum uſurpatur pro Præſenti in re futura, ſeu in Futuro Tempore Jud. VIII. 7. בתת יהוה *in dando*, h. e. *quando daturus eſt Jehovah.* Exod. XXXIII. 16. הלוא בלכתך עמנו *an non in eundo te nobiſcum?* h. e. *quando ibis nobiſcum?* Sic & Cap. XXXIV. 24. Deut. XXV. 19. Jud. XI. 31. 1 Reg. VIII. 33, 35. Quæ tamen duplex quaſi Temporis notatio haudquaquam ipſo Modo Infinitivo in ſe ſpectato ſignificatur; verum Præſentis Temporis deſignatio fit ope Præfixi ב. Quod vero ſit Præſens quid ſive in re præterita, ſive in re futura, id paſſim vel additis aliis verbis formæ Finitæ ſive Præteriti, ſive Futuri Temporis ſignificatur, vel ex toto ſermonis argumento eliciendum, ex quo pateat, num de re præterita, an vero de re futura ſermo ſit.

III. Eodem ferme modo Infinitivus ſæpe conſtruitur cum Particulis למען / לבלתי / עד / ſimilibusve, quæ maxime Futuro Tempori deſignando inſerviunt: quando tale Verbum Infinitivum commode vel in Nomen Subſtantivum verbale, vel in Præſens aut Imperfectum Subjunctivi reſolvi poterit, uti Joſ. IV. 24. למען דעת כל עמי הארץ את יד יהוה *Propter ſcire omnium Gentium Terræ.* h. e. *ut ſciant* vel *cognoſcant omnes Gentes Terræ manum Jehovæ.* Sic & Deut. VIII. 3. למען הודיעך *propter notificare tibi.* h. e. *ut notificaret tibi.* Cap. IX.

Digitized by Google

IX. 7. עד באכם עד המקום הזה *Uſque ad venire vos ad hunc locum.* h. e. *uſque ad adventum veſtrum*, vel *uſque dum adveniretis ad hunc locum.* Idem videre licet Deut. XI. 5. XXVIII. 20, 21. & alibi.

IV. Ex hiſce citatis locis ſatis etiam colligere licet, quod Infinitivus interdum prorſus formam Nominis Subſtantivi induat; unde etiam fere omne id, quod Nomini Subſtantivo proprium eſt, ſibi vindicat: Præfixa ſibi præmittit, Affixa ſibi adjungit Nominum more; immo & cum Nomine Subſtantivo velut aliud Subſtantivum conſtruitur; uti 1 Sam. XXV. 16. כל ימי היותנו *omnes dies loῦ eſſe nos.* h. e. *quibus fuimus.* Deut. VII. 20. עד אבוד הנשארים h. e. *uſque ad perditionem reliquorum* vel *relictorum.* Sic quando dicitur בבאך & בצאתך Deut. XXVIII. 6, 19. *in exire* vel *introire tuo*, plane nihil aliud eſt quam *in exitu, in introïtu tuo.* *

§. III.

Ex dictis ſatis liquet, quod Modus Infinitivus proprie & per ſe nullum certum aut definitum Tempus denotet, quodque adeo hic nulla Temporis Enallage locum habere queat;

De temere credita Infinitivi Enallage pro Præterito vel Futuro Indicativi; aut Imperativo.

* Conferri de hac re poterit Sal. Glaſſius Lib. III. Gramm. Sacr. Tract. III. Can. 44. §. 5. idque etiam Græcis & Latinis admodum uſitatum eſſe, ut nimirum Infinitivum loco Nominis Subſtantivi ponant, idque per omnes caſus, obſervat Glaſſius l. l. Adde Vechnerum in Hellenolex. Lib. I. Cap. X. & Sanctium in Min. Lib. III. Cap. VI. & quæ ibi notant Scioppius & Perizonius.

Digitized by Google

queat: verum frequentem admodum Modorum Enallagen hic obſervant Pagninus & Glaſſius, qua Infinitivus veniat loco Præteriti vel Futuri Indicativi, aut loco Imperativi. Loca, quæ huc referuntur, videri poſſunt apud Auctores citatos; uti & apud Cl. Coccejum in Obſerv. Gramm. Cap. XII. Operum Tom. IX. pag. 273. quibus plura alia addi poſſent, quod ſciens omitto. Verum obſervavit jam Cl. Coccejus Loco laud. hic ex Genio Linguæ non adeo eſſe Enallagen; verum potius Ellipſin Verbi Finiti, quod ex ἀκολουθίᾳ ſupplendum eſt, uti & Ven. de Bruin Diſſ. Laud. pag. 133. & ſeqq. Adeoque quando dicitur Exod. XX. 8. זָכוֹר hoc modo ſupplendum erit זָכוֹר תִּזְכֹּר. Sic Num. IV. 2. נָשֹׂא pro נשׂא תשׂאו Eccl. IV. 2. וְשַׁבֵּחַ אֲנִי pro ושבח שבחתי & *laudando laudabam*. Et ſic in aliis. Neque hujusmodi ellipticus dicendi modus hic ſine ſatis ſolida ratione a nobis fingitur; quum uſitatiſſimum ſit Hebræis hoc modo duplicato, aut plene loqui; ut Verbo Finito ſive Præteriti, ſive Futuri Temporis Infinitivum ejusdem Verbi adjungant: maxime, ut videtur, ſingularis emphaſeos cauſa. Quod productis Exemplis probant Coccejus Loco Laud. & Glaſſius Lib. III. Gramm. Sacr. Tract. III. Can. 37. Sic Infinitivus conſtruitur cum Futuro loco Imperativi poſito Deut. VI. 17. שמור תשמרון את מצות יהוה אלהיכם *Servando ſervabitis præcepta Jehovæ Dei*

Dei veſtri. Quod alias ſæpe elliptice dicitur שָׁמוֹר Deut. VII. 18. זָכֹר תִּזְכֹּר Sic & ejusdem Cap. vs. 26. שַׁקֵּץ תְּשַׁקְּצֶנּוּ וְתַעֵב תְּתַעֲבֶנּוּ Quod & eodem modo in Præterito obſervandum, 1 Sam. II. 27. הנגלה נגליתי אל בית אביך *An revelando revelavi me domui Patris tui?* ubi mox vs. 28. in verbis וּבָחֹר אֹתוֹ ſupplendum erit ובחר בחרתי אתו

At vero heic notandum, ſæpe immerito atque ſine ſatis ſolida ratione dici, quod Infinitivus loco Præteriti aut Futuri veniat, ubi propria Infinitivi vis ſatis retineri poteſt; præſertim quando in continuata oratione Infinitivus poſt aliud quoddam Verbum Finitum venit: quo in caſu Infinitivus ſæpe commodiſſime Gerundio Latinorum in *do* exeunte verti poteſt; adeo ut Particula ב aut ל ante Infinitivum deeſſe cenſenda ſit. Exemplo ſit Dan. IX. 5. חטאנו ועוינו והרשענו ומרדנו וסור ממצותיך וממשפטיך *Peccavimus, & inique egimus, & impie egimus, & rebellavimus; & quidem*, vel, *idque recedendo a præceptis tuis & juribus tuis.* Cui expoſitioni Accentuum diſpoſitio prorſus favet. Idem obſervandum vs. 11. Sic Eccl. VIII. 9. ונתון את לבי verterem: *idque dando*, vel, *ponendo cor meum.* Idem ſentiendum mihi videtur de Infinitivo תמוך Pſalm XVII. 5. Hoc modo etiam Guſſetius Infinitivum תנה Pſam VIII. 2. accipit, vertitque *dando*, in Lex. ad vs. נתן Hæc elliptica loquendi forma etiam ab Interpretibus obſervatur 1 Chron. XVI.

Dan. IX. 5.

1 Chron. XVI. 36.

queat: verum frequentem admodum Modorum Enallagen hic obſervant Pagninus & Glaſſius, qua Infinitivus veniat loco Præteriti vel Futuri Indicativi, aut loco Imperativi. Loca, quæ huc referuntur, videri poſſunt apud Auctores citatos; uti & apud Cl. Coccejum in Obſerv. Gramm. Cap. XII. Operum Tom. IX. pag. 273. quibus plura alia addi poſſent, quod ſciens omitto. Verum obſervavit jam Cl. Coccejus Loco laud. hic ex Genio Linguæ non adeo eſſe Enallagen; verum potius Ellipſin Verbi Finiti, quod ex ἀκολουθίᾳ ſupplendum eſt; uti & Ven. de Bruin Diſſ. Laud. pag. 133. & ſeqq. Adeoque quando dicitur Exod. XX. 8. זָכוֹר hoc modo ſupplendum erit זָכוֹר תִּזְכֹּר. Sic Num. IV. 2. נָשֹׂא pro נשא תשאו Eccl. IV. 2. וְשַׁבֵּחַ אֲנִי pro ושבח שבחתי & *laudando laudabam*. Et ſic in aliis. Neque hujuſmodi ellipticus dicendi modus hic ſine ſatis ſolida ratione a nobis fingitur; quum uſitatiſſimum ſit Hebræis hoc modo duplicato, aut plene loqui; ut Verbo Finito ſive Præteriti, ſive Futuri Temporis Infinitivum ejusdem Verbi adjungant: maxime, ut videtur, ſingularis emphaſeos cauſa. Quod productis Exemplis probant Coccejus Loco Laud. & Glaſſius Lib. III. Gramm. Sacr. Tract. III. Can. 37. Sic Infinitivus conſtruitur cum Futuro loco Imperativi poſito Deut. VI. 17. שמור תשמרון את מצות יהוה אלהיכם *Servando ſervabitis præcepta Jehovæ Dei*

Dei veſtri. Quod alias ſæpe elliptice dicitur שָׁמוֹר Deut. VII. 18. זָכֹר תִּזְכֹּר Sic & ejusdem Cap. vs. 26. שַׁקֵּץ תְּשַׁקְּצֶנּוּ וְתַעֵב תְּתַעֲבֶנּוּ Quod & eodem modo in Præterito obſervandum, 1 Sam. II. 27. הנגלה נגליתי אל בית אביך *An revelando revelavi me domui Patris tui?* ubi mox vs. 28. in verbis וּבָחֹר אֹתוֹ ſupplendum erit ובחר בחרתי אתו

At vero heic notandum, ſæpe immerito atque ſine ſatis ſolida ratione dici, quod Infinitivus loco Præteriti aut Futuri veniat, ubi propria Infinitivi vis ſatis retineri poteſt; præſertim quando in continuata oratione Infinitivus poſt aliud quoddam Verbum Finitum venit: quo in caſu Infinitivus ſæpe commodiſſime Gerundio Latinorum in *do* exeunte verti poteſt; adeo ut Particula ב aut ל ante Infinitivum deeſſe cenſenda ſit. Exemplo ſit DAN. IX. 5. חטאנו ועוינו והרשענו ומרדנו וסור ממצותיך וממשפטיך *Peccavimus, & inique egimus, & impie egimus, & rebellavimus; & quidem*, vel, *idque recedendo a præceptis tuis & juribus tuis.* Cui expoſitioni Accentuum diſpoſitio prorſus favet. Idem obſervandum vs. 11. Sic Eccl. VIII. 9. ונתון את לבי verterem: *idque dando*, vel, *ponendo cor meum.* Idem ſentiendum mihi videtur de Infinitivo תמוך Pſalm XVII. 5. Hoc modo etiam Guſſetius Infinitivum תנה Pſam VIII. 2. accipit, vertitque *dando*, in Lex. ad vs. נתן Hæc elliptica loquendi forma etiam ab Interpretibus obſervatur 1 CHRON. XVI.

Dan. IX. 5.

1 Chron. XVI. 36.

XVI. 36. ויאמרו כל העם אמן והלל ליהוה
Ubi וְהַלֵּל accipiunt ut Infinitivi Modi, quodque hic elliptice veniat pro וְהַלֵּל הִלְלוּ atque ſic reddunt: *& laudando laudabant Jehovam.* Cui interpretationi non equidem repugno. at forte וְהַלֵּל hic Imperativi eſt Modi; adeo ut ita hæc verba vertenda ſint: *& dicebat omnis populus: amen, & lauda Jehovam.* Hoc mihi liquere videtur ex collatione cum Pſalm CVI. vs. ult. ubi eadem occurrunt verba, & in plur. dicitur הללו יה· *laudate Dominum.* Videtur quidem primo intuitu Accentuum diſpoſitio id non permittere: verum dici poterit, hic eſſe quandam *Anomaliam Interſtinctionis*, quæ ſæpiſſime obſervatur; adeo ut ἀπὸ τοῦ κοινοῦ repetendum ſit ויאמרו כל העם. De hac in Accentuum diſpoſitione *Anomalia Interſtinctionis* conferri meretur Cel. Alphenius *in ſua Brevi Inquiſitione in Uſum Accentuum* §. XXVIII. & Seqq.

Interdum etiam huc perperam Infinitivus refertur, quando Infinitivus Modus commodius, & majori quadam emphaſi aut elegantia retineri poteſt, vel quando plane naturam Nominis Verbalis induit. Sic quod Glas-
2 Chron. XXXI. 10. ſius citat ex 2 CHRON. XXXI. 10. Infinitivi אכל ושבוע והותר commode ut Nomina Subſtantiva habentur, ſubintellecto Verbo Subſtantivo, atque ſic redduntur: *erat comedere, & ſaturari, & ſupereſſe.* Conferri etiam meretur Hoſ. IV. 2.

CAP.

CAP. III.

DE PARTICIPIO BENONI.

§. I.

Participii Hebræi genuina indoles.

Uti vero *Infinitivi* magna ex parte a natura Verborum Finitorum degenerant, atque in cenſum Nominum Subſtantivorum tranſeunt, eorumque pleraſque prærogativas ſibi vindicant, ſic idem fere dici poterit de PARTICIPIO; atque uti Infinitivi ut Nomina Subſtantiva Verbalia habentur, ſic *Participium* maxime venit loco *Nominis Adjectivi Verbalis*: omnes enim Nominum prærogativas ſibi vindicat; neque quicquam fere de natura Verbi retinet; niſi quod ſæpe Nomina ſibi adjungat Verborum inſtar, atque quodammodo Tempus deſignet: quodammodo tantum dico: nam *Participium* non ita Temporibus connotandis inſervit, uti Verba Finita, quæ Præteritum & Futurum diſtincte, & unumquodque ſuis characteribus ſignificant; quum in Hebræa Lingua Participium ratione Temporum unicum tantum ſit: nam Pahul magis *Participii Paſſivi*, quam *Præteriti* nomen meretur. Si vero naturam Participii accurate obſervaveris, quatenus vel ſit *Nomen Adjectivum Verbale*, vel *actionem*, *paſſionem*, *habitum*, vel *ſtatum in concreto* deſignet; hinc Participium proprie & primario *Præſens Tempus* denotabit; at maxime quidem hujusmodi *Præſens*, quod quaſi *continuum* quid eſt; quodque proinde ſæpe etiam inſervit ad denotandum

Præſens quoddam, ſeu *continuum* quid, ſive in Præterito, ſive in Futuro Tempore, prout vel Præterito vel Futuro Tempore determinatur. Notat Cl. Coccejus in Obſerv. Gramm. Cap. XII. pag. 273. *Participia omnia eſſe Præſentis Temporis; niſi aliunde determinentur.* At vero licet Participium vel Præterito vel Futuro Tempore determinetur, vere tamen pro Participii natura dici poterit, quod Præſentis Temporis maneat; nimirum Præſens quoddam erit vel in Præterito, vel in Futuro Tempore: talis enim continua Actio aut Paſſio vel magis in Præterito, vel magis in Futuro Tempore ſpectari poteſt; adeoque prout Participium vel Præterito, vel Futuro Tempore determinatur, res ipſa quidem Præteriti vel Futuri Temporis erit; licet Participium in ſe ſpectatum Præſentis Temporis maneat. Quod ex vario Participii Uſu magis illuſtrabitur.

§. II.

Participium venit loco Præſentis.

Ex iis, quæ diximus, facile patebit, Hebræos, qui proprie definitum quoddam Præſens Tempus non agnoſcunt, modo admodum concinno atque analogo ſuo Participio Benoni uti ad Præſens Tempus ſignificandum, ſubintellecto Verbo Subſtantivo. Sic Gen. XIII. 15. Deus Abrahamo dicit כי את כל הארץ אשר אתה ראה לך אתננה *Nam omnem terram, quam tu videns es,* [ſeu *vides*] *dabo tibi eam.* Hic Præſens Tempus Participio רֹאֶה deſignari, præcedens Verſus ſatis com-

commonſtrat. Eodem modo Deut. VII. 11. אשר אנכי מצוך היום *Quæ ego hodie tibi præcipio.* Ubi היום nobis Præſens Tempus indigitat. Eadem hæc loquendi formula ſæpius in ipſo hoc Deuteronomii Libro obſervatur. Conferri etiam poterunt 1 Reg. VI. 12. XVIII. 11, 14. 2 Reg. VII. 9. Quibus adde quæ hic habet Glaſſius Lib. III. Gramm. Sacr. Tract. IV. Can. 4.

Quia vero Participium proprie Præſens Tempus denotat; atque maxime quidem Præſens quoddam continuum, quodque non adeo determinatur excluſione Præteriti aut Futuri: hinc uſitatiſſimum eſt Hebræis ſuo Participio ſignificare *Tempus Aoriſtum*, ſeu *Indefinitum*; uti Cap. Seq. videbitur.

§. III.

Utuntur Hebræi Participio pro Præſenti in re Præterita.

Sæpe fit, ut ſuo Participio Hebræi Præteritum Tempus ſignificent, vel ſaltem ut illud adhibeant de re præterita: ubi tamen Præteriti Temporis deſignatio maxime, immo unice latet in Verbo Præteriti Temporis addito vel ſubintellecto, aut ex rerum circumſtantiis elici poterit. Hic tamen plerumque aliud quoddam Præteritum intelligendum, quam vulgo Hebræi ſuo Præterito Tempore ſignificant; nimirum *Præteritum quaſi continuum*, ſeu *Præſens quoddam in re præterita.* Exemplo ſit Deut. IX. 7. ubi Moſes hæc dicit: *ab illo tempore, quo exiiſtis ex Ægypto donec veniſtis ad hunc locum* ממרים הייתם עם יהוה *rebellantes fuiſtis cum Jehovah.* Ubi Præteriti ſignificatio latet in Præterito הייתם

Deut. IX. 7.

Participium vero מַמְרִים ut Præſens in iſto Præterito venit. Præterea aliud quid mihi hoc modo ſignificari videtur, quam ſi Præterito Verbi Finiti diceretur מְרִיתֶם aut הִמְרִיתֶם nimirum hac ratione indicabitur, quod aſſidue & continuo rebellaverint per omne iſtud temporis ſpatium: uti etiam ex circumſtantiis hujus loci ſatis liquet. An vero hoc ſemper in hujusmodi Participiorum uſu obſervari debeat, adfirmare non auſim. Sufficiat nobis, ſi indoles Participii id requirat. Conferri meretur Cap. XXXI. 27.

Interdum etiam Participium venit ferme in forma Nominis Adjectivi Verbalis poſt aliquod Nomen Subſtantivum, atque eo res præterita ſignificatur. Quod tamen Præteritum Tempus proprie non latet in Participio, verum ex rerum circumſtantiis eliciendum relinquitur: nam hoc modo Participium non majori jure Præteriti Temporis eſſe dici poterit, quam Nomen aliquod Verbale. Si vero in hujusmodi dicendi modo Temporis deſignatio requiratur, tale Participium, uti etiam aliquod Nomen Verbale, commode reſolvitur in Verbum Finitum Præteriti Temporis mediante Particula Relativa אשׁר. Ex. gr. אִישׁ הַבָּא hoc modo circumloqui licebit אִישׁ אשׁר בָּא. Sic ſæpe Hebræi ſuum Participium in Præterito Tempore aut in re præterita uſurpant, Joſ. II. 3. Rex Jerichuntis Rachabæ dicit הוֹצִיאִי הָאֲנָשִׁים הַבָּאִים אֵלַיִךְ אשׁר בָּאוּ לְבֵיתֵךְ *Educito homines venientes ad te, qui ingreſſi ſunt domum tuam.* Ubi etiam הַבָּאִים quaſi reſolvitur, & explica-

Digitized by Google

tur per Præteritum אשר באו Jud. II. 12. ויעזבו את יהוה אלהי אבותם המוציא אותם מארץ מצרים: *Et relinquebant Jehovam Deum Patrum ſuorum, educentem ipſos*, h. e. *qui eduxit eos e Terra Ægypti.* Idem obſervari poterit Deut. VIII. 14, 15, 16. 2 Sam. XII. 4, 5.

§. IV.

Participii uſus in re futura.

Eodem plane modo Hebræi ſuum Participium adhibent in re futura, ſeu ad deſignandum *Præſens quoddam in Futuro Tempore;* adeo ut vel ſubintelligatur Futurum יהיה vel in Futurum Tempus Verbi Finiti commode reſolvi queat. Quo ipſo tamen, quod & hic notandum, Futurum Tempus proprie non latet in ipſo Participio; ſed vel Participium venit loco Nominis Adjectivi Verbalis, quod Tempora proprie non connotat, vel Futurum Tempus ſignificatur expreſſo vel ſubintellecto Verbo Subſtantivo Futuri Temporis; quum enim reſpectu Futuri Temporis dico איש העושה זאת *homo, qui hoc erit faciens*, Hic העושה non majori jure Futuri Temporis eſſe dici poterit, quam Participium *faciens* in Latinis; quum Futurum Tempus ſignificetur Verbo *erit.* Vel ſi dicas העושה hic naturam induere Nominis Verbalis, hoc modo in Verbum Futuri Temporis reſolvi poterit איש אשר יעשה זאת Hoc modo Participium venit Gen. VII. 4. כי לימים עוד שבעה אנכי ממטיר על הארץ ארבעים יום וארבעים לילה *Nam poſt adhuc ſeptem dies ego pluviam*

Gen. VII. 4.

pluviam demittens [ſcilicet אהיה *ero*] *ſuper Terram quadraginta dies & quadraginta noctes.* Hic etiam, uti id §. præced. de Præterito obſervavimus, Participium venit ut Præſens quoddam in re futura, & quidem ad tempus quoddam continuum vel aſſiduum denotandum. Gen. XV. 14. וגם את הגוי אשר יעבדו דן אנכי *Atque etiam Populum, cui ſervient, judicans ego*, ſcilicet אהיה *ero.* Deut. XXXI. 3. יהוה אלהיך הוא עבר לפניך *Jehovah Deus tuus tranſiens* [*erit*] *ante faciem tuam.* Commode tamen & hic locus Præſenti Tempore verti poteſt; at maxime Futurum Tempus reſpicitur, uti Verba Futuri Temporis in ſequentibus obvia ſatis evincunt. Vel hic jure dici poterit, Participium in Nomen Verbale degeneraſſe. Jud. XI. 31. והיה היוצא אשר יצא מדלתי ביתי וגו׳ *Et erit exiens, qui exibit e foribus domus meæ* &c ubi etiam Participium היוצא reſolvitur in Tempus Futurum verbi Finiti, & Particulam Relativam אשר. Sic quod 1 Reg. VIII. 19. dicitur היוצא alio loco, nimirum 2 Sam. VII. 12. ubi de eadem re ſermo eſt, dicitur אשר יצא. Idem hoc & ſequentibus locis obſervari poterit Exod. XI. 5. Joſ. XI. 6. Jud. II. 22. 1 Sam. XI. 7. 1 Reg. XX. 22. 1 Chron. XXII. 19.

§. V.

De uſu Participii cum Particula הנה

Admodum etiam ſolitum eſt Hebræis ſuo uti Participio poſt Particulam Demonſtrativam הנה *ecce*, idque præſertim ad ſignificandum

dum *Tempus Futurum*, vel ſæpe etiam *mox Futurum*: in quo ſingularis quidam genius, & elegans atque emphaticus dicendi modus elucet. Ubi etiam, quod negari haud poterit, Participium quidem de Futuro Tempore uſurpatur; ita tamen, ut res futura ex indole hujus phraſeologiæ ope Particulæ הנה tanquam jam præſens, & quaſi oculis conſpicienda ſiſtatur. Exemplo ſit Gen. VI. 17. ואני הנני מביא את המבול מים על הארץ *Me vero quod attinet, ecce me adducentem diluvium aquarum ſuper Terram.* Quod pro natura phraſeos hoc modo circumloqui licet: *ecce me, qui adduco.* Hoc modo מביא licet de re futura adhibeatur, tamen ut Præſens quoddam reſpici poterit. Exod. IX. 18. הנני ממטיר *Ecce me pluviam demittentem*: vel *ecce me, qui pluviam demitto.* 2 Reg. VII. 2. הנה יהוה עשה ארבות בשמים *Ecce Jehovam facientem feneſtras in Cælis.* h. e. *ecce ſi Jehovah faciat*, vel *faceret.* Eſt hic ſermo conditionalis ſeu hypotheticus, quem Hebræi ſæpe poſitive efferunt, ſubintellecta Particula כי vel אם. Quod ſupra obſervavimus Diſſ. II. §. 8. Cum hoc loco conferri poterit vs. 19. Idem etiam videre licet Ruth. III. 2. 2 Chron. II. 3. & ſæpe alibi.

Uſitatiſſimus hic eſt loquendi modus in Stylo Prophetico, Jeſ. III. 1. VIII. 7. Jerm. XXXI. 27, 31, 38. & aliis locis paſſim.

Digitized by Google

CAP. IV.

DE DICENDI MODO AORISTO SEU INDEFINITO.

§. I.

Quid circa dicendi Modum Aoriſtum in genere obſervandum.

Dicendum mihi tandem aliquid reſtat de *Modo dicendi Indefinito ſeu Aoriſto.* Sæpius fit, ut indefinite loquamur; atque ipſa res, quam ſignificamus, ita ſit comparata, *ut non adeo Temporis Præteriti aut Futuri diſtinctionis rationem habeamus; ſed magis generatim, ſine ſtricta quadam temporis determinatione, ad nexum inter Subjectum & ſuum Prædicatum attendamus:* idque præſertim locum obtinet in generalibus ſententiis, in parœmiis aut adagiis pronuntiandis; vel etiam in ſignificando aut deſcribendo id, *quod alicui proprium, familiare aut ſolitum eſt; quodque continuo facit, aut ſolet.* Hoc vero in anteceſſum jam præmonuimus Diſſ. I. §. 12. ubi ſimul indicavimus, Græcam Linguam ſua Aoriſta Tempora agnoſcere, alias vero Linguas hic paſſim ſua Tempora Definita uſurpare; maxime vero ſuum Præſens Tempus aut Futurum, interdum etiam ſuum Præteritum: quodque ſatis commode hujusmodi Aoriſtus dicendi Modus in quodcunque horum Temporum reſolvi poſſit, etiam loco citato vidimus. Quod vero ita Indefinite loquamur, licet Temporibus Definitis utamur, id paſſim ex ipſo Sermonis argumento, ejusque circumſtantiis aut ſcopo facile dignoſcere datur.

Idem

Idem hoc & in Hebræa Lingua obſervandum, quæ etiam vario modo, interdum ſuo Participio Benoni, interdum Præterito, præſertim vero ſuo Futuro ita indefinite loqui amat: quodque, uti mox per partes patebit, fit modo omnino analogo atque eleganti. At vero, quod hic præmonendum, hac in parte cautela opus eſt, ne nimis temerarii ſimus in fingendis hujusmodi loquutionibus indefinitis, ſi quando hic illic circa Temporum Analogiam hæreamus: neque enim eas dari facile crediderim, niſi ubi rerum argumentum, earumque circumſtantiæ ac ſcopus nobis id plane ſuadeant: atque ſimul etiam illud requiri mihi videtur, ut talis loquutio indefinita in illud Tempus Definitum facili opera hoc illove modo reſolvi queat.

§. II.

Talibus Indefinitis loquendi Modis pro rerum argumento præ cæteris refertus eſt Sacer Codex Proverbiorum: utpote ubi paſſim recurrunt Parœmia ſeu Adagia, quæ generalem quandam veritatem ſine definita Temporis determinatione in ſe continent. Nec rari ſunt in Libro Jobi, ſive frequentiſſime ibi recurrant Proverbia a rebus ſolitis, & quæ continuo fiunt, petita; ſive etiam ſolitæ ac continuæ Dei molitiones ſeu viæ enarrentur; ſive tandem tam piorum, quam impiorum continua facta & fata deſcribantur. Nec deſunt in Pſalmorum Libris, ubi itidem ſæpe generales quædam veritates, aut piorum ac impiorum viæ, molimina aut fata recen-

Hi Indefiniti loquendi Modi maxime obſervandi in Proverbiis, Jobo & Pſalmis.

recenſentur. At ſedulo hic cavendum, ne Propheticum illud, quod ſaltem in magna Libri Pſalmorum parte ſuo jure latet, hoc modo ſusque deque habeamus. In Libris vero Hiſtoricis & Propheticis hujusmodi indefinite loquendi Modi rarius obſervantur.

Quia vero in talibus Loquutionibus Indefinitis proferendis Latina Lingua, noſtra Vernacula, aliæque non multum abeunt ab idiomate Hebræae Linguæ, uti Diſſ. I. jam obſervatum dedimus; hinc in concinnanda verſione nihil tutius erit, quam prout fert Linguæ indoles, accurate tempori inhærere, atque Tempus Tempore reddere: quo modo etiam in Vernaculis Linguis iſte Indefinitus loquendi Modus, æque ac in Verbis Hebræis, ex rerum argumento aut ſcopo obſervari poterit.

Multum tamen juvabit, hujusmodi indefinite dicendi Modum obſervaſſe; tum quia non ſemper æque commode iſte dicendi Modus pro indole Vernaculæ Linguæ eodem Tempore verti poteſt, præſertim quando Hebræi ſuum Præteritum indefinite uſurpant, uti mox videndum erit: tum ut hoc modo Analogiam Hebrææ Linguæ hac in parte obſervemus, quando interdum Præterita Futuris, aut Futura Præteritis, idque uti videtur, eodem plane ſenſu intermixta ſunt. Cujus rei illuſtrandæ etiam mox dabitur occaſio.

§. III.

§. III.

Primo itaque loco obſervo, Hebræos ſæpe ſuum Participium Benoni adhibere ad hujusmodi *Aoriſtum*, ſeu *Indefinitum Tempus* denotandum. Exemplo ſint ſequentia Loca. Eccl. II. 14. הכסיל בחשך הולך *Stultus ambulat in tenebris.* Hic certe tale quid in ſtulto obſervatur, quod non ſemel aut definito quodam tempore fit; ſed quod continuo aut ſemper verum eſt. Quale quid nos commode Præſenti Tempore ſignificamus, adeo ut Præteritum & Futurum non excludantur. Nec minus Analogum eſt, ſi Hebræi tale quid ſuo Participio Benoni exprimant; utpote quod, uti Cap. præced. viſum fuit, maxime Præſens quoddam continuum denotat. Eccl. IV. 5. הכסיל חבק את ידיו ואכל את בשרו *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnem ſuam.* Hic iterum tale quid ſignificatur, quod proprium eſt ſtulto, quodque adeo continuo & ſemper locum habet. Præſertim vero hoc frequens eſt in Salomonis Proverbiis, uti Cap. XII. 23. אדם ערום כשה דעת *Homo callidus tegit ſapientiam.* h. e. *id continuo facit*, ſeu *facere ſolet.* Cap. XIII. 24. חושך שבטו שונא בנו *cobibens virgam odit filium ſuum.* h. e. *qui continuo & quavis data occaſione virgam cohibet.* Cap. XV. 27. עכר ביתו בוצע בצע ושונא מתנת יחיה *Qui quæſtum quærit, conturbat domum ſuam; ſed qui dona odit, vivet.* Atque hujusmodi indefinite loquendi Modi ſæpius, præſertim in hoc Proverbiorum Libro recurrunt.

Ad Tempus Aoriſtum denotandum utuntur ſæpe Hebræi Participio.

§. IV.

§. IV.

Suo Præterito Hebræi etiam ſæpe indefinite utuntur.

Sæpe etiam Hebræi ſuo Præterito Tempore hoc modo Ἀοριστῶς ſeu *indefinite* utuntur: quando non adeo ſignificant id, *quod ſemel aut aliquando determinato quodam Præterito Tempore fuit, aut factum fuit*; uti fit in narratione hiſtorica; *ſed quod continuo ac fere ſemper fuit, aut obſervatum fuit, adeoque quod fieri ſolet.* Licet enim de hiſce Aoriſtis ſeu Indefinitis loquendi Modis jure dici queat; id quod fuit, aut factum fuit, etiam futurum eſſe; atque id quod fiet, quod jam antea fuerit aut factum ſit; tamen ſæpe ita ſe res habet, ut vel Præteritum, vel Futurum Tempus hic magis conſpiciendum veniat. Hoc modo in Tempore alias ſatis Indefinito tamen maxime Præteritum Tempus ſpectandum ſiſtitur ESTH. VI. 8. Ubi Haman hæc dicit יביאו לבוש מלכות אשר לבש בו המלך וסוס אשר רכב עליו חמלך *Adferant veſtimentum regium, quo indutus fuit Rex; & equum, cui Rex inſedit.* Res ipſa nobis ſatis ſuadet, hic non adêo ſignificari veſtimentum, quo ſemel aut aliquando indutus fuit Rex; aut equum, cui aliquando inſederat: verum tale Veſtimentum, quod regium erat, quoque indui ſolebat; atque equum, cui inequitare ſolebat. Hoc vero, licet hic ad Tempus Præteritum maxime reſpiciatur, non tam commode noſtro Vernaculo aut Latinorum Præterito ſignificari mihi videtur: quapropter hic forte præſtabit rem ipſam per periphraſin

Eſth. VI. 8.

Digitized by Google

phraſin verbi *ſoleo* reddere, hoc modo: *Veſtimentum, quo indui ſolet Rex, & equum, cui inſidere ſolet.* Atque hoc modo hic vertunt Belgæ Interpretes. Vel pro indole aliarum Linguarum etiam Præſenti Tempore verti poſſet, uti ferme alii Interpretes. Hic præſertim aliquid dandum Genio cujusque Linguæ. Sufficit mihi, ſi Hebræi etiam hac in parte prorſus analogice loquantur, ſique res ipſa pro indole aliarum Linguarum rite ſignificetur.

Prov. XI. 8. צדיק מצרה נחלץ ויבא רשע תחתיו. *Juſtus ex anguſtia ereptus eſt, & venit improbus in ejus locum.* Neque hic quaſi per hiſtoricam quandam narrationem id ſignificatur, quod ſemel, aliquando, aut definito quodam tempore accidit; verum id, quod ſæpius videre licuit, quodque paſſim fieri ſolet, utpote juſta & ſueta Dei via cum juſtis & improbis. Hinc & quidam Interpretes Præteritum נחלץ Præſenti Tempore reddunt, utpote quod magis indoli Vernacularum Linguarum convenire videbatur. Commodiſſime vero & hoc Præteritum in Tempus Indefinitum reſolvitur: nam eſt, acſi dicas: *ſæpius obſervare licuit, experientia præcedentium temporum abunde id probatum eſt: quod juſtus ereptus ſit ex anguſtia, quodque impius venerit in ipſius locum.* Vel etiam hoc fere modo Tempore Definito explicari poterit hic locus, ut per Ellipſin hic reticeatur Particula conditionalis כי aut אם ante Præteritum נחלץ. Adeoque hoc modo ſecundum conſtructi- Prov. XI. 8.

ſtructionem Grammaticam hic locus vertendus erit: *quando juſtus ex anguſtia ereptus eſt;* [vel *ereptus erit;*] *tunc veniet impius in ejus locum.* Hujusmodi conſtructionis Exempla videri poſſunt Diſſ. II. §. 8.

Eodem modo & variis aliis locis hicce Præteriti uſus pro Tempore quodam Indefinito obſervare licet. Prov. XIII. 1. לץ לא שמע גערה *Deriſor non auſcultavit increpationi.* h. e. *id paſſim obſervatum fuit, id ſatis ſuperque experientia comprobatum eſt.* Sic eodem modo vs. 8. רש לא שמע גערה *Pauper non auſcultavit increpationi.* Job. XIV. 11. אזלו מים מני ים *Abierunt aquæ e lacu.* h. e. *id ſæpius aut continuo fit, aut fuit, aut obſervatum eſt.* Ita & vs. 19. אבנים שחקו מים *Lapides comminuerunt aquæ.* Plura loca ex multis aliis, præſertim in Jobo & Proverbiorum Libro obviis non addam.

Interpretes hic Præterita in hujusmodi indefinite loquendi modis fere ſemper Præſenti Tempore reddunt; neque id, ſi rem ſpectes, male. Si vero conſtructionem Grammaticam paullo accuratius attendas, plane ἀναλόγως hic loquuntur Hebræi, uti ex Præteriti reſolutione videre licuit. Quod ad rem vero attinet, Præſens & Futurum Tempus hic paſſim minime excluduntur: nam hic quæ facta ſunt, etiam fiunt, atque fient in poſterum; quamobrem nemo mirabitur, ſi Hebræi eandem hanc rem aliis in locis interdum vel Futuro vel Præſenti Tempore ſignificent.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Verum prærogativam quandam hac in parte præ cæteris ſibi arrogat *Futurum Hebræum*, quo ſæpiſſime utuntur Hebræi in proverbiis aut generalibus ſententiis proferendis; quandoque non adeo definite aut determinate ſignificant, quid factum ſit aut futurum; verum quid paſſim fit, aut fieri ſolet: quale quid etiam commodiſſime, atque modo plane analogo Futuro Tempore ſignificari, ex locis mox proferendis ſatis, ni fallor, patebit. Cl. Buxtorfius Lib. I. Thes. Gramm. Cap. XII. notat, *Hebræos Præſens Tempus per Præteritum & Futurum efferre in generalibus Sententiis, cum ſignificatur, non quod fuit aut futurum eſt; ſed quod perpetuo eſſe aut fieri debet.* Verum hacce Regula Grammatica, ſi ſine præjudicio Analogiæ Temporum admittatur, nihil aliud docebitur, niſi quod Hebræi Tempus quoddam Indefinitum, quod commodiſſime vel Præterito vel Futuro Tempore ſignificatur, aut in ea Tempora reſolvi poteſt, uti jam de Præterito vidimus, atque de Futuro videbimus porro, ſæpe Futuro Tempore efferant, quod Latini aliique pro ſuæ Linguæ idiomate ſæpius Præſenti exprimunt. Citat præterea Ab. Esram ad Pſalm. I. 1. ubi hæc ſcribit כאשר ירצו. לדבר על זמן עומד ידברו בלשון עבר גם בלשון עתיד *Quando loqui volunt per Tempus ſtans ſeu Præſens, loquuntur ſermone Præteriti, vel ſermone Futuri.* & Eundem ad Job. III. 2. ubi inſuper ad-

Futurum Hebræum maxime inſervit ſignificando Tempori Aoriſto.

adfirmat, *quod omnia Futura in Jobo ut Præſentia vel Præterita habenda ſint.* Atque eadem hæc etiam aliorum Judæorum eſt ſententia. At vero, ſi Ab. Esra hanc ſuam Regulam, *quod Hebræi Præſens Tempus Futuro aut Præterito efferre ſoleant*, etiam ad Tempora Definita extendat, falſiſſimam eam eſſe confidenter pronuntio: quod ſi vero eam tantummodo ad Indefinita Tempora, ſeu Indefinitum dicendi Modum, adplicatam voluerit, ſatis incaute loquutus eſt: nam Præterita & Futura in dicendi Modo Indefinito ratione conſtructionis Grammaticæ, vere Præterita & Futura manent; licet forte paullo commodius pro indole Latinæ aliusve Linguæ Præſenti Tempore vertantur. Eodem ferme jure hic mihi dicere liceret, quod Præſens Latinorum aut noſtrum Vernaculum veniat loco Præteriti vel Futuri. Quod vero de omnibus Futuris in Jobo tam audacter adſerit Judæus, in eo mihi proavitæ Linguæ genium ſatis oblitus videtur.

§. VI.

Futuri Uſus in dicendi Modo Indefinito probatur.

Quod vero talem, quem dixi, Indefinitum dicendi Modum Hebræi ſuo Futuro Tempore efferre ament, ex ſubjectis locis, eorumque ab Anomalia vindicatione dijudicare licebit.

Gen. VI. 21.

Gen. VI. 21. Deus Noacho præcipit, ut ſibi ſumat de omni cibo אשר יאכל *qui comedetur*. h. e. ſi rem ſpectes, *qui comeditur*, aut *comedi ſolet*. At vere hic, quin immo maxi-

maxime Futurum Tempus reſpicitur, quod nemo non videt; atque etiam ſatis commode, ſaltem ex genio Vernaculæ Linguæ, Futuro Tempore verti poterit.

DEUT. VIII. 5. כאשר ייסר איש את בנו יהוה אלהיך מיסרך *Sicuti vir caſtigabit filium ſuum, ita Jehovah Deus te caſtigabit.* Si rem ſpectes, prorſus ſignificabit *caſtigare ſolet*; vel *caſtigat*, aut *caſtigabit poſt quodcunque delictum.* Quale quid æque commode Latine aut Vernacule Futuro Tempore exprimere licet: hoc tantum obſervato, quod hic Futurum Tempus, quod ad rem attinet, Præteritum aut Præſens non ſecludat. Deut. VIII. 5.

JES. XL. 28. *Deus æternus, Jehovah Creator extremitatum Terræ* לא ייעף ולא ייגע *non defatigabitur, neque laſſus fiet.* Quod Futurum hoc aliove modo circumloqui, aut explicare licebit: *non defatigabitur poſt qualecunque peractum opus.* Jeſ. XL. 28.

Hicce Futuri Hebræi uſus ſæpius obſervatur in enarrandis aut recenſendis ſive virtutibus & piis factis juſtorum, ſive impiorum facinoribus aut ſceleribus. Exemplo ſit dictum Job. XXIV. 2. Ubi Jobus de impiis dicit גבולת ישיגו *Limites attingent:* & vs. 3. חמור יתומים ינהגו יחבלו שור אלמנה׃ *Aſinum pupillorum abigent, pignore accipient bovem viduæ.* Hic certe, ſi rem ſpectes, ſignificatur id, quod impii continuo atque quavis data occaſione faciunt; adeoque hic Præteritum Tempus minime excludi poterit. Job. XXIV. 2, 3.

At vero in hoc dicendi genere Hebræi commodiſſime atque plane *ἀναλόγως* ſuo Futuro Tempore utuntur; nam eſt acſi dicas: *id facient continuo, & quavis data occaſione.* Vel potius vis hujus Futuri erit, acſi dicas: *tales ſunt*, vel *eo ſunt animo*, *ut faciant vel facerent.* Atque hoc modo inſigni ſane emphaſi tale quid Futuro Tempore ſignificatur; idque longe ſignificantius ac nos, aut Latini noſtro Præſenti Tempore. Idem hic Futuri uſus fere per totum hoc Caput obſervatur.

Prov. XXIV. 2. Prov. XXIV. 2. כי שד יהגה לבם ועמל שפתיהם תדברנה׃ *Nam vaſtationem meditabitur eorum animus, & moleſtiam proloquentur labia eorum.* h. e. *tales ſunt*, vel *eo ſunt animo, ut hæc faciant.*

Atque hujusmodi indefinite loquendi Modi frequentiſſimi ſunt, præſertim in Jobo & Proverbiis. Conferri præ cæteris merentur Job. XXII. 5—10. & Cap. XXXI. fere totum.

Idem hic Futuri uſus Hebræis admodum eſt familiaris in citandis parœmiis; ubi paſſim præmittunt, עַל כֵּן יֵאָמַר vel עַל כֵּן יֹאמְרוּ

Num. XXI. 14. Exemplo ſit Num. XXI. 14. על כן יאמר בספר מלחמות יהוה וגו Locus eſt paullo obſcurior, quia certo dici nequit, quis fuerit hic *Liber bellorum Jehovæ.* Owenus in Theolog. Lib. IV. Cap. 3. Digreſſ. 1. §. 16. per hunc *Librum bellorum Jehovæ* intelligit ipſum hunc Numerorum Librum, atque Futurum Tempus obſervans, ita hæc verba reddit: *Propterea dicetur*, h. e. *ex Libro bello-*

rum

rum Jehovæ celebre erit , & in ore hominum. Verum mihi hoc nondum ſatis probabile videtur : fuerit hic Liber bellorum Jehovæ alius quidam liber , ſeu enarratio bellorum Jehovæ ; ſive ab ipſo Moſe , ſive ab alio viro pio eo fere temporis conſcriptus , quod non eſt hujus loci inquirere : Putem ego Futurum יֵאָמַר hic maxime ἀοριστῶς accipiendum ; nimirum de eo , *quod in proverbium abiit , atque ſæpius dici ſolitum fuit.* Atque in eo Futurum Tempus vere atque maxime obſervandum venit ; nimirum quatenus illud *dicere* poſterius , adeoque relative Futurum eſt ratione rei , a qua proverbium deſumtum eſt ; vel quatenus hoc modo ſignificatur , tale quid non ſemel aut aliquando dictum fuiſſe ; ſed continuo dici , atque etiam dictum iri ſequentibus temporibus. Particula על כן quando dicitur de re præterita , quantum mihi obſervare licuit , ſemper poſt ſe habet Præteritum , exceptis his locis Gen. X. 9. XXXII. 33. Num. XXI. 14, 27. 1 Sam. V. 5. XIX. 24. 2 Sam. V. 8. Dici equidem poſſet , in hiſce Locis latere aliquod Futurum Relativum ; nam conſequens poſterius , adeoque futurum eſt ratione antecedentis. At quia Hebræi paſſim in aliis locis omnibus poſt על כן in re præterita Præteritum ponunt , potius mihi in his citatis locis Futurum poſitum videtur loco Temporis Aoriſti , ſeu Indefiniti ; ſcilicet ad ſignificandum id , quod non ſemel aut aliquando factum fuit ; ſed quod continuo factum fuit , fit , atque etiam fiet

Digitized by Google

in poſterum. Qualis Futuri uſus etiam omnibus his citatis locis apprime convenit. Adeoque hoc in caſu Verba על כן יאמר vi Futuri Temporis verterem; *propterea dici ſolitum fuit*, vel *proverbio dici ſolet.* Sic & Gen. XXII. 14 Et Abraham vocabat nomen iſtius loci, יהוה יראה אשר יאמר היום בהר יהוה יראה *Jehovah providebit*; *unde hodie dici ſolet*, vel *in proverbium abiit: in monte Jehovæ providebitur.* Cuique Linguæ hic ſuus eſto Genius; at Futurum hic nequaquam excludi poſſe, facile quivis viderit. Confer hic 1 Sam. XXIV. 14.

Gen. XXII. 14.

Si quis plura deſiderat loca, ubi aperte ſatis hicce Futuri uſus loco Temporis cujusdam Aoriſti ſeu Indefiniti obſervandus venit; qualis tamen Indefinitus dicendi Modus hoc illove modo in Futurum Tempus facile reſolvitur, inſpiciat hæc loca Gen. XXIX. 26. XLV. 5. L. 3. Exod. XXXIII. 11. Levit. XI. 5. (ubi idem vs. 6. Præterito dicitur.) Num. XII. 8. Deut. I. 31, 44. II. 11, 20. III. 9, 13. XVIII. 14. XXVIII. 29. XXXII. 11. Jud. IX. 9. XIV. 10. XVI. 9. XVII. 6. XXI. 25. 1 Sam. II. 14, 22. V. 5. XVI. 7. 2 Sam. I. 22. XI. 25. XII. 3. XIII. 18. XX. 18. 1 Reg. VIII. 46. 2 Reg. IX. 20. XXV. 14. Job. XXVIII. 2. Atque ſic ſæpius in Jobo & Proverbiis. Eccleſ. VII. 20. X. 19.

§. VII.

§. VII.

Ex dictis jam facile liquet, quam temere atque citra omnem juſtam cauſam, in his ſimilibusve caſibus, ubi Indefinite loquimur, Enallage Præteriti vel Futuri pro Præſenti fingatur; quum uti jam demonſtravi, talem dicendi modum plerumque æque commode Futuro vel Præterito, ac Præſenti Tempore efferre liceat: nam ſi Indefinitus dicendi Modus eſt quaſi omnis Temporis, an mirum erit, ſi omni fere Tempore Analogice ſignificetur? Simul etiam ex hiſce elicio, quod plane immerito Hebrææ Linguæ ἀκυρολογίας crimen quodad uſum ſuorum Temporum imputemus, ſi in Sermone quodam Indefinito Tempora Præterita, Præſentia & Futura inter ſe miſcere videantur, acſi plane indifferens horum Temporum foret poteſtas, aut uſus. Ita ſane primo intuitu facile cuipiam videretur; immo vero, quod non temere dixerim, plus ſemel viſum fuit, quodque multis ingens præjudicium contra Analogum Temporum Hebræorum uſum creavit. Verum ſi vel maxime oratio ita ſit comparata, ut generales quasdam veritates aut ſententias contineat, quæ quod ad rem, omnis quaſi Temporis ſunt, commodiſſime hoc, uti ex dictis ſatis liquet, non tantum in Hebræa, quin & in Vernacula, aliisque Linguis, plus quam uno modo ſignificari poterit: nam hic vel Præſenti aut Futuro, quin & Præterito Tempore paſſim ſatis Analogice uti licebit.

In dicendi Modo Indefinito Hebræi amant Temporum varietatem; idque modo eleganti atque plane Analogo.

cebit. Quin &, uti mihi ſaltem cum ratione videtur, tantum abeſt in hiſce dicendi modis vituperandam dari Temporum ἀκυρολογίαν; ut potius hic Styli Hebræi elegantem quandam varietatem obſervaverim. Atque hoc obſervato varii loci in Jobo præſertim, Proverbiis ac Pſalmis inſignem hinc fœnerabuntur lucem, eorumque Analogia atque Styli elegantia prorſus vindicabitur ac demonſtrabitur. Quod uno alterove Exemplo illuſtrare annitar.

Pſalm. XV. 2—. Psalm XV. a vs. 2. & deinceps deſcribuntur nobis laudabiles, Deoque gratæ qualitates ſeu characteres veri Zionitæ: ubi in re, quæ mihi ſaltem ratione Temporis prorſus eadem eſt, interdum Participium Benoni, interdum Præteritum, mox iterum Futurum uſurpata videas. vs. 2. Participiis dicitur הולך תמים ופעל צדק ודבר אמת בלבבו: *ambulans integre; & operans juſtitiam, & loquens veritatem corde ſuo.* vs. 3. nil niſi Præterita offendas לא רגל על לשנו לא עשה לרעהו רעה וחרפה לא נשא על קרבו: *Lingua ſua non obtrectavit, proximo ſuo non fecit malum, neque opprobrium proloquutus eſt contra propinquum ſuum.* vs. 4. ſermo fit Futuro Tempore ואת יראי יהוה יכבד נשבע להרע לא ימיר: *Et timentes Jehovam honorabit; ſi juraverit in ſuum malum, non mutabit.* Hic נשבע eſt Præteritum Subjunctivum, ſeu conditionale, pro כי נשבע uti ſæpiſſime alibi. vs. 5. iterum Præterita recurrunt, כספו לא נתן בנשך

בנשך ושחד על נקי לא לקח *Argentum ſuum non dedit fænori, neque munus accepit contra innocentem.* Quæ omnia tandem quaſi ſummatim repetuntur ope Participii Benoni vs. 5 b. עשה אלה *faciens hæc.* Si jam in mentem revocentur, quæ in præcedentibus obſervata dedi, quomodo in dicendi Modo Indefinito vel Præſenti, vel Futuro, vel etiam Præterito Tempore commode & ἀναλόγως uti liceat, quodque hujuſmodi dicendi Modi facile vel Præterito, vel Futuro Tempore reſolvantur, non ita facile dixeris, hic Enallagen Præteriti aut Futuri venire loco Præſentis. Nonne, uti ex dictis liquet, Hebræi hæc æquo jure Futuro aut Præterito ſignificant, ac nos Præſenti Tempore? Num Hebræa Lingua perfectior aut elegantior foret, ſi talia tantum Participio Benoni ſignificaret? id minime crediderim: potius vero ita cenſeo, hanc Temporum varietatem aut viciſſitudinem ſingularem Linguæ vim atque elegantiam arguere, gratiamque auribus conciliare. Quapropter & Hebræi in hujuſmodi ſermonibus Indefiniti Temporis etiam hanc Temporum varietatem adfectare mihi videntur. Omnino hic conferri meretur Ezech. XVIII. 5. & ſeqq.

Job. XII. 17. & ſeqq. Eandem fere Temporum varietatem in Sermone Indefinito hic videre licet. vs. 17. in re, quæ ratione Temporum plane eadem eſt, Participium Benoni & Futurum uſurpata videas, מוליך יועצים שולל ושפטים יהולל: *Abducens conſiliarios*

Job. XII. 17. & ſeqq.

ſiliarios ut ſpolium, atque judices inſanos reddet: vs. 18. in eadem re Præteritum occurrit,
מוסר מלכים פתח ויאסר אזור במתניהם:
Vinculum regum diſſolvit, & cingulum eorum lumbis alligat. vs. 19, 20. eadem recurrit Temporum variatio, quæ vs. 17. Atque ſic idem hoc in ſequentibus verſibus obſervare licebit.

Eadem hæc Temporum elegans, atque ſimul Analoga viciſſitudo ſæpiſſime in Proverbiis, atque Jobi Libro recurrit: præ cæteris eum in finem inſpici merentur Job. XXIV. & XXXI. per tota fere capita Hæc ſimiliaque Interpretes paſſim pro ſuæ Linguæ idiomate Præſenti Tempore reddunt: quod quidem ſatis ferri poterit, utpote rem ipſam pro Linguæ indole plane ſignificans. Atqui præſtabit tamen, quantum id Linguæ genius permittat, Tempori Hebræo inhærere; ne hac libertate forte etiam in Temporibus Definitis abutamur, aut ſingularem Temporum vim atque conſtructionem, quæ hic aut illic obſervanda venit, prorſus deſpiciamus.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX.

LOCORUM S. SCRIPTURÆ

Quæ hoc Opuſculo illuſtrantur.

GENESIS.

I.	1.	52.
	3.	163.
II.	24.	84, 85.
III.	22.	85.
IV.	1.	43, 44.
	9.	44.
	10.	29, 30.
VI.	17, 18.	79.
	21.	226, 227.
VIII.	9.	175.
IX.	1.	201, 202.
XII.	2.	202.
XIV.		159.
XV.	18.	48, 50.
XVII.	16.	48, 50.
XIX.	4.	145.
XX.	16.	47.
XXIII.	11, 13.	47, 50.
XXVI.	27, 32.	175.
XXVII.	33.	145, 146.
XXVIII.	15.	61.
XXX.	13.	31.
XXXI.	37.	76.
XXXII.	18.	109.
XXXIII.	10.	89, 90.
XXXIV.	5.	77.
XXXVII.	15.	110.
	18.	146.
XLVII.	23.	90.
XLVIII.	4.	80.
	6.	31, 32.
XLIX.	6.	192, 193.
	16.	179.

EXODUS.

IX.	1.	187.
X.	3.	41.
XI.	7.	110, 111.
XII.	35, 36.	55.
XIII.	19.	88, 89.
XVI.	6, 7.	91, 92.
	28.	41, 42.
XVIII.	20.	197.

NUMERI.

IX.	15-24.	132-134.
XX.	8.	65.
XXI.	14.	228, 229.
	17.	152, 153.
XXIII.	7.	137.

DEUTERONOMIUM.

IV.	1.	85.
	30.	92.
VIII.	5.	227.
IX.	7.	213, 214.
XII.	7, 15.	62.
XV.	6.	61, 62.
XXVIII.	45, 62.	62.
XXXI.	3.	216.
XXXII.	39.	46, 47.
	49.	202.

JOSUA.

IV.	24.	32-34.
VII.	1.	166, 175, 176.
	25.	169, 170.
IX.	8.	111, 112.
	21.	178.
	25.	199.

Jos.

INDEX.

Josua.

X.	33.	53, 150, 151.
XIII.	33.	57.
XIV.	10.	170, 171.
XV-XIX.		83, 84.
XXII.	1.	153.
	2.	163.

Judicum.

II.	1.	137-140.
	18.	53, 54.
III.	23.	83.
VI.	3.	83.
IX.	9.	67, 68.
	38.	116, 117.
XI.	36.	119.
XVII.	9.	112, 113.

Ruth.

I.	12.	66.
II.	9.	66.
	21.	62.

I. Samuel.

I.	8.	115.
II.	6.	178.
	16.	63.
	23, 29.	116.
IX.	6.	34, 35.
	15.	57.
XV.	30.	89.
XXV.	11.	68.

II. Samuel.

III.	33.	117, 118.
XII.	31.	131.
XVII.	17.	129, 130.
XVIII.	18.	58.
XX.	6.	191, 192.

I. Regum.

III.	8.	195.
V.	18.	80-82.
	25, 28.	130.
VII.	7, 8.	130, 131.

I. Regum.

VIII.	1.	152.
	12.	151.
	26.	88.
	27.	195.
XXII.	8.	118, 119.
	43.	164.

II. Regum.

II.	16.	190, 191.
III.	11.	44-46.
V.	13.	66, 67.
VII.	2.	217.
	6.	58.
XIII.	14, 20.	131.
	19.	65.
	22.	58.
XV.	27.	165.
XIX.	4.	118.
	33.	119, 120.
XX.	9.	36-40.
	10.	39.
	12.	59.

I. Chronicorum.

X.	13.	167.
XVI.	36.	209, 210.
XVII.	11.	62, 63.

II. Chronicorum.

I.	10.	196.
V.	2.	152.
XV.	3-7.	180, 181.
XXIV.	7.	56, 57.
XXV.	14.	131, 132.
XXXI.	10.	210.

Esther.

VI.	8.	46, 222, 223.

Job.

II.	3.	172, 173.
X.	8.	173.
XII.	17—.	233, 234.
XIX.	27.	95, 96.

Job.

INDEX.

JOB.

XXXIV.	2,3.	227, 228.

PSALM.

XV.	2—.	232, 233.
XXV.	11.	91.
XXXII.	5.	135.
	8.	197.
XXXVII.	27.	201.
LXVI.	12.	163.
LXXX.	5,6.	40, 41.
	9,10.	142, 143.
LXXXI.	14.	194, 195.
CII.	25.	135, 136.
CXLIV.	3.	176.

PROVERBIA.

I.	22.	95.
IV.	3,4.	176.
	4.	201.
XI.	8.	223, 224.
XXIV.	2.	228.
XXX.	4.	163.

JESAIA.

VIII.	2.	183.
	11.	77, 78.
X.	13.	183, 184.
XI.	8,9.	101, 102.
XIII.	10.	102, 103.
XXXVIII.	8.	38, 39.
	21, 22.	168.
XXXIX.	3.	114, 115.
XL.	28.	227.
LIII.	10,11,12.	120-126.
LXIV.	5.	171, 172.

JEREMIA.

VII.	10.	189.
XVIII.	8.	67.
XXXI.	5.	67, 103.
	11, 12.	103, 104.
	29.	132.
XXXVI.	18.	140, 141.
XXXVII.	10.	82, 83.
XXXVIII.	9.	179.
L.	34.	34.

EZECHIEL.

XVIII.	5—.	232.

DANIEL.

IX.	5.	209.

JOËL.

II.	18,19.	179, 180.
	20—.	104-106.

JONA.

I.	8.	113.

IN-

INDEX RERUM.

A.

Abſoluta Tempora qualia ſint. 6.
Aoriſta, ſeu Indefinita Tempora deſcribuntur. 6, 21, 22, 218, 219.
——— paſſim in variis Linguis Tempore quodam Definito, Præſenti maxime vel Futuro ſignificantur. 22, 23.
Aoriſtus Græcorum ſæpe commode ope Verbi *Soleo* exprimitur. 22.

B.

Brachylogiæ exempla e Sacris & profanis Scriptoribus multa ab auctoribus citantur. 114.

D.

Definita Tempora quæ ſint. 6.

E.

Ellipſeos nominis ex præcedenti Verbo ſupplendi exempla. 172.
Enallage Temporum inſignis eſt in Linguis defectus. 2, 3.
Enallagæ in Verborum Modis & Temporibus definiuntur. 23, 24.
——— Varii dicendi modi ex Enallagarum numero eximuntur. 24—27.
Enallage Præteriti pro Futuro in Hebræa Lingua deſtruitur. 30 & ſeqq.
——— Præteriti pro Præſenti refellitur. 42 & ſeqq.
——— Imperativi pro Futuro limitatur. 200 & ſeqq.
Epiſtola Eliæ Prophetæ ad Regem Joramum miſſa, quomodo ſit concipienda. 44, 45.

F.

Futurum Indicativi apud Latinos etiam vim imperandi, vel optandi habet. 17, 18.

Futu-

Digitized by Google

Futurum Subjunctivi cujuſnam ſit temporis. 15, 16.
Futurum Hebræorum ſæpe uſurpatur pro Futuro in re præterita. 126 & ſeqq.
——— aliis fere omnibus dicendi modis inſervit, qui ſua natura Futuri ſunt temporis. 184 & ſeqq.

I.

Imperativi Modi varia vis ac poteſtas. 17, 198, 199.
Imperfectum Præteritum proprie eſt Præſens in re præterita. 7, 8, 9.
——— interdum uſurpatur loco Futuri in re præterita. 9, 10, 11.
——— qua in re differat a Præterito Perfecto. 7, 8.
Imperfectum Subjunctivi cujuſnam ſit temporis. 14, 15.
Indefinita Tempora. Vid. Aoriſta.
Infinitivi Hebræi varii uſus. 204 & ſeqq.
——— cum ב conſtructus tam de re præterita, quam futura dicitur. 205, 206.
——— non ſolum apud Hebræos; verum & apud Græcos & Latinos ſæpe Nominis naturam induit. 207.

M.

Miraculum in progreſſu aut retrogreſſu umbræ Solis in ſolario Achaſi, quomodo rite concipiatur. 36—40.
Modi in Hebræa aliiſque quibuſdam Linguis enumerantur. 5.
——— Varii alii dicendi Modi in Linguis recenſentur. 17.

O.

Optativus Modus ſua natura Futuri eſt Temporis, ſeu Futurum Tempus reſpicit. 16, 17.

P.

Participii Hebræi indoles & uſus analogus. 211 & ſeqq.
Piska, quid ſibi velit hæc nota Maſorethica. 138, 139.
Pluſquamperfectum eſt Præteritum in re præterita. 11, 12.
——— Differentia genii Hebrææ Linguæ ab aliis in

ſigni-

ſignificanda re, quæ Plusquamperfecti eſt Temporis. 12, 13.
Plusquamperfectum Subjunctivi quale ſit tempus. 16.
Potentialem Modum ſæpe Hebræi ſuo Futuro ſignificant. 195, 196.
Præſens quomodo interdum apte uſurpetur de mox futuro. 18, 19.
——— interdum ſimul Futurum includit. 19.
——— ſæpe etiam Præteritum includit, & contra. 19, 20.
Præſens Subjunctivi cujus ſit naturæ. 14, 15.
——— ſæpe elliptice venit apud Latinos. 91.
Præteritum Subjunctivi cujusnam proprie ſit Temporis. 15, 16.
Præteritum Hebræum ſæpe noſtro Præterito Imperfecto vertendum. 51 & ſeqq.
——— interdum venit loco noſtri Plusquamperfecti. 54 & ſeqq.
——— non raro uſurpatur loco Præteriti vel Futuri Subjunctivi, ſive additis Particulis Conditionalibus vel Subjunctivis, ſive non. 59 & ſeqq.
——— interdum vertendum Plusquamperfecto Subjunctivi. 66.
——— ejus uſus in Prophetiis explicatur. 96—106.
Præteritum cum Vav Relativo ſæpe elliptice venit. 89—93.

R.

Relativa Tempora quænam ſint. 6, 7.

S.

Solis, vel Umbræ Solis miraculum in Solario Achaſi quale fuerit. 36—40.
Subjunctivus Modus ſua natura Futuri eſt Temporis. 13, 14.
——— hujus Modi Tempora, cujus ſint naturæ. 14—16.

T.

Tempora in Hebræa, aliisque quibusdam Linguis recenſentur. 5.
——— generalis eorum diviſio. 6.
Tempus unum ſæpe aliud ſimul includit. 18—21.

I N D E X

VOCABULORUM HEBRÆORUM.

אז Propria hujus Particulæ ſignificatio. 148, 149.

— in Tempore Præterito interdum cum Præterito, interdum cum Futuro conſtruitur: & quænam ſit hujus differentiæ ratio. 150—154.

אם ſæpe per ellipſin deeſt. 47.

אשר interdum per *quod*, vel *ut* vertendum. 117.

ו Copula ſæpe nimis temere per pleonaſmum abundare dicitur. 92, 93.

— omni fere copulandi modo inſervit. 174, 175.

ו Præteriti proprie non eſt *Converſivum*, ſed *Relativum* aut *Subjunctivum*. 68 & ſeqq.

— an etiam interdum eandem vim exerceat, licet non immediate Præterito præfixum. 93—96.

ו Futuri *Converſivum* dictum, quæ ejus propria ſit poteſtas, & varius uſus. 154—182.

חפץ interdum, at raro conſtruitur cum nudo Infinitivo. 123, 124.

טרם Quænam natura & propria ſit ſignificatio hujus Particulæ. 144.

—— in re præterita cum Futuro conſtrui amat. 144—147.

ידע Qualis ſit emphatica hujus Verbi notio. 125.

יסר raro in Kal; at ſæpiſſime in Pihel uſurpatur. 78.

כי Sæpe per ellipſin deeſt. 47.

למען cum Præterito conſtruitur. 33, 34.

—— quænam ſit lata hujus Particulæ ſignificatio. 188, 189.

נתן *addicere*, *decernere*. 49—51.

Q עד

Digitized by Google

עד מתי / עד אנה } cum Præterito interdum conſtruuntur. 40—42.

עד / עד הנה / עד אשר } in re præterita cum Futuro conſtruuntur. 147, 148.

על כן Differentia conſtructionis harum Particularum ſive cum Præterito, ſive cum Futuro. 229, 230.

פן an interdum ſimpliciter *forte*, aut *forſan* notet. 190.

— raro cum Præterito conſtruitur. 189 & ſeqq.

פנה quænam ſit hujus Verbi notio in conjugatione Pihel. 142, 143.

פסקא באמצע פסוק qualis ſit nota Maſorethica. 138, 139.

קנה *Hujus Verbi prima notio.* 44.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google